

• S • G • B • T • B •



• 1 • 6 • 6 • 1 •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



33
DISPUTATIO SOLENNIS
DE JUSTIFICA-
TIONE,

OPPOSITA
Jesuitæ Martini Becani Tract. 4.
Cap. 3. de Justificatione ex sententia
Catholicorum:

Quam

DEI ADJUVANTE GRATIA

SUB PRÆSIDIO

JACOBI MARTINI SS. Theol.

Doctoris & Prof. Publ. Fac. Th. Senioris,

Pro gradu Doctoreo in Facultate

Theologica impetrando

defendat

M. PAULUS SPERLINGIUS Lauchâ-Thu-

ringus, Amplifs. Facult. Phil. p. t. Adjunctus, nec non Ecclesiæ

Stolpensis vocatus & confirmatus Pastor.

In Auditorio Theologico die 29. Decembr.

horis ante- & pomeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AUERBACH, Acad. Typogr.

ANNO clō lō C XXIX.



V I R I S

*Nobilissimis, Reverendissimis, Magnificis, Amplissimis,
Consultissimis & Praecellentissimis*

Electoralis, quod Dresdæ est, Protosynedrii Eccle-
siastici Præsidi & Consiliariis Eminentissimis,

DN. FRIDERICO à Metzsch/ in Schwichenbach & Fries-
sen hereditario, Aulae Elect. Dresd: Consiliario,

DN. MATTHIÆ HÖE AB HÖENECK
in Gönsdorff/ Ober- & Nieder-Rachwitz heredi-
tario, SS. Theolog. Doctore Celeberrimo,
Sacri Palatii Lat. Comiti splendidissimo, Se-
renissimo Electori Saxoniae à Concionibus
aulicis, Confessionibus Sacris, & Consiliis
Ecclesiasticis primariis,

DN. ÆGIDIO STRACHIO
SS. Theol. Doctore eximio, Ecclesiae Dres-
densis ad Divum Crucis Pastori, & Vicina-
rum Superintendenti vigilantissimo,

DN. D. LEONHARTO
KÖPPELIO Jcto ma-
gno, Serenissimo Electo-
ri Saxoniae ab Appella-
tionum Consiliis,

DN. NICOLAO HELF-
RICHIO J. U. D. celeberrimo,

Dominis

PATRONIS

ac

Mecœnatibus suis summis

Hanc

SOLENNEM DISPUTATIONEM

Gratitudinis ac Honoris ergo

Reverentiã

Quã potest humilimã

Dicat & Consecrat

M. PAULUS SPERLINGIUS.





Proœmium.

Apostolus Paulus cum Philip-
penses de cavendâ Pseudo- Apostolo-
rum doctrinâ, justitiam legalem & Ev-
angelicam confundentium aliquoties
cum præsens vivâ voce, tum absens per
litteras quàm diligentissimè præmonuif-
set, & verò de justificatione sive fidei justitiâ doctri-
næ tractationem, ob summam ejus (quippe perpetuæ
nostræ salutis solidum fundamentum continentis) uti-
litem ac necessitatem nunquam satis inculcari in Ec-
clesiâ & urgeri posse, piè ac verè statuisset, proinde que
eandem adhuc repetendam, & Philippenses (quò imis
eam animorum sensibus infixam tenerent, nec unquam
per falsorum doctorum fraudulentiam in tam necessa-
riò doctrinæ cœlestis capite perturbarentur) solidè in-
formandos confirmandosque esse duceret, ne autem
ipsi cogitarent, supervacuum esse, ut unum idemq; to-
ties iteretur & inculcetur, hoc usus est exordiò: *τὰ αὐ-
τὰ γράφειν ὑμῖν, ἐμοὶ μὲν σὺν ὀνηρόν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές, Phil. 3.
v. 1.* Nos quoque hæcenus tam privatim quàm publicè
de hoc ipso fidei Articulo aliquoties disputavimus,
eundemq; in solenni hac disputatione repetendum
duximus. Etenim quod si quando aliàs doctrina de
æternæ salutis rationibus fuit inculcanda, sanè identi-
dem hac nostrâ tempestate eam repetere frequentius
audire, meditari, & imis animorum sensibus infigere,

plus quam necesse est. In hæc enim incidimus tempora, de quibus prædixit Paulus 2. Timoth. 4. v. 3. scribens: *Erit tempus, quum sanam doctrinam non tolerabunt; sed auribus prurientes, ipsi sibi pro suis cupiditatibus coacervabunt doctores: Et à veritate quidem aures avertent, ad fabulas verò convertentur.* Hæc sunt illa tristissima & infelicissima tempora, de quibus Christus Matth. 24. vaticinatur, & in Apocalypsi cap. 17. annunciat, nempe quod tam potens & efficax futurus sit Diabolus in filiis inobedientiæ, ut officium majestatemq; Messia palàm involare, ipsiusq; thronum conscendere non veriti fuerint. Hoc ipsum enim est, quod hodiè faciunt Papani ac Jesuitæ, dum in primis hoc doctrinæ cœlestis de justificatione caput hostiliter adoriuntur, haud secus, ac prisci illi Pseudo-Apostoli, Justitiam Legalem & Evangelicam pessimè ac hæreticè confundunt, & quod nullo modo ferendum, plenitudinem gratiæ, divinæq; benedictionis & peccatorum remissionis penes Papam Romanum residere impudentissimè mentiuntur, cœlestiaq; hæc beneficia etiam iis in locis, in quibus ultra seculum puritas doctrinæ cœlestis hæctenus sonuit ac floruit, pro pecuniis rursus divendere incipiunt. Quæ verò non corruptibili auro vel argento; sed sanguine agni immaculati & incontaminati Christi nobis acquisita esse, dudum ex sacris literis didicimus. Quemadmodum ergo nos, Apostolum imitantes, nullo inde tædio, & quidem in hisce universalibus calamitatibus atque claudibus Ecclesiæ afficimur, hanc doctrinam (nempe, quæ hodiè, ut tantâ diligentiam inculcet, summo opere necessaria est) sæpius repetendo: Sic nulli dubitamus, Do-
mi-

minos auditores & Studiosos inæstimabilem inde fructum percepturos; videlicet τὸ ἀσφαλές, inconcussam soliditatem & firmitatem fidei, adversus quam non portæ inferorum, nedum Papæ Romani bruta fulmina prævalebunt.

THESES.

I.

Nunc rem ipsam aggredientes, ne chordâ oberrare eâdem, & ταυτολογία, eandem rem, eodem modo repetendo, committere videamur; sed de re quidem eâdem, at diversimodè agamus, nec non diversa distinctaq; ordine proponamus; ut hætenus vidimus, quomodo Becanus nostram orthodoxam de justificatione doctrinam ausu planè temerario impugnare aggressus fuerit; sic in præsentī hac solenni disputatione sufficienter cum Deo demonstrabimus, quomodo idem Becanus *tract. 4. cap. 3. de justificatione Cathol.* argumentis aliquot ac resolutis quæstionibus Pontificiorum de justificatione cacodoxam & futilem persuasionem nostræ solidæ, ubique ac per omnia in verbo Dei fundatæ, sententiæ opponere defendereq; infelicissimè attentaverit. Observabimus autem methodum nostram, nimirum allegabimus ipsa Becani verba, eaque, quantum necessum erit, Theologicè, ac, pro renatâ, Logicè examinabimus.

II. Primam ergo quæstionem his verbis proponit: *1. Quid & quotuplex sit justificatio.* Et ad illam respondendo quatuor peragit: 1. Tripliciter verbum Justificare in scripturâ usurpari fingit. 2. Inde triplicem vocis justificationis significationem sophisticè colligit. 3. Papanorum & Calvinianorum (quò verò titulo & Lutheranos calumniosè complectitur) circa vocis hujus potestatem, discrepantiam ostendit. 4. Et tandem Pontificiorum divisionem in primam & secundam suo more stabilit. De singulis ordine.

III. Triplicem verbi *justificare* significationem fingit s. r. his verbis: *justificare in sacra scripturâ tripliciter usurpatur.*

A 3

Primò

Primò, ut sit idem, quod justum facere, ut Rom. 4. v. 5. *Credenti in eum, qui justificat impium.* Unde Augustinus in Psalm. 39. Conc. 1. *Quis est, inquit, qui justificat impium? Qui facit ex impio justum.* Et Epist. 120. cap. 10. *Credenti in eum, qui justificat impium, id est, qui ex impio facit pium.* Secundò, ut sit idem, quod justiore facere, ut Eccles. 18. v. 22. *Ne verearis usq; ad mortem justificari.* Et Jacobi 2. v. 24. *Videtur, quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.* Et Apoc. 22. v. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Tertiò, ut sit idem, quod declarare, seu pronunciare aliquem justum, ut Proverb. 17. v. 15. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterq; apud Deum.*

IV. Disputatione nostrâ primâ & tertiâ de justificatione, sufficienter, ni fallor, egimus de verbo *justificare*, demonstravimusq; primariam hujus significationem esse forensam, proindeq; idem esse, quod *absolvere* & *justum declarare*, idq; in tribus linguis Cardinalibus, Latinâ, Græcâ & Hebræâ, ac propterea in hoc articulo verbum *justificare* idem notare, quod *hominem peccatorem ac injustum coram tribunalis judicii divini, condonatio peccatis, & imputatâ Christi justitiâ per fidem justum reputare.*

V. Hoc ergo, quia certum ac firmum est, sequitur, figmentum Jesuiticum esse, Verbum hoc *justificare* (& quidem in sacra Scripturâ) triplicem habere significationem, & allegata dicta Scripturæ contra scopum ac intentionem Spiritus sancti obtorto collo torqueri.

VI. Nequaquam ergo concedendum, quod Paulus Rom. 4. v. 5. in primâ Jesuiticâ significatione, verbo *justificare*, utatur, nempe ut idem sit, quod justum facere, hoc est, expulsâ inju-
stitiâ

Justitiã justitiæ habitum infundere; quemadmodum sanare est
ex aegroto sanum, & calefacere, ex frigido calidum facere. Id
enim simpliciter cum scopo Paulino pugnat. Nam, quoniam
in præcedente capite de justitiã fidei egerat; illam totã priore
parte hujus capitis exemplo Patriarchæ Abrahamæ illustrat, idq;
singulari consilio.

VII. Hypocritæ enim Judæi opera Patris Abrahami, qui-
bus justificatus esset, mirificè jactabant, contendebantq;
eodem planè modo omnes ejus posteros servari oportere: Quare
Apostolus anticipatione & inversione utens, illo ipso Abraha-
mi omnium justificandorum & servandorum Patris exemplo
prorsus contrarium ostendit.

VIII. Retentã enim Judæorum assertionem, ut olim con-
tra istos, sic hodiè contra Jesuitas generalis ex intentione Pau-
li rectè formatur syllogismus: Ut Abraham, quem Deus in
Patrem, & quasi ducem omnium servandorum designavit, est
justificatus; sic omnes ejus posteri, & in pietate ipsum sequen-
tes, justificantur: At Abraham fide, non operibus vel meritis,
sive propriã in hærente justitiã, est justificatus: Ergo eo modo,
fide, & non operibus vel meritis, omnes ejus posteri ac fideles
justificantur.

IX. Major est per se certa & firma. 1. Quia Abraham, tan-
quam Pater omnium servandorum, est in exemplum justifica-
tionis omnibus propositus: quippe cum quo Deus fœdus de ra-
tione benedictionis salutisq; omnium gentium per benedictũ
semen mulieris renovavit. 2. Quia etiam eadem est justifica-
di ratio respectu omnium hominum. Fundaturque hic major
& continetur *in v. 11. & 12.* Ubi causa adfertur, cur acceperit
Abraham signum circumcisionis, quod ob signaret justitiã fi-
dei, quæ fuerat in præputio, nempe ut esset Pater omnium cre-
dentium in præputio, ut imputaretur etiam ipsis justitiã, si-
mulq; esset Pater circumcisorum: Quam verò paternitatem
Paulus non ex generatione carnali aut conditione acceptã cir-
cumcisionis, sed ex imitatione fidei Abrahamæ describit.

X. Minorem probat Paulus multis argumentis usque ad

ver-

versum 18. Prima ergo probatio continetur v. 1. *Quid igitur dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem.* Ubi tria potissimum observanda sunt, i. vox *carnis*, & phrasis, *secundum carnem*, quæ hoc loco significat ex operibus, ut ad Gal. 3. v. 3. *Cum spiritu cœperitis, nunc carne perficiamini.* Ubi ut spiritum vocat ipsam gratiam Evangelicam, in cordibus credentium arrhabone Spiritus obsignatam: Sic voce *carnis* intelligit opera, à carnis sensu profecta: ut sit sensus: cum sub initium vestræ conversionis veram pietatem, vi ac energiâ Spiritus sancti, per verbum Evangelii accepti, inchoaveritis; nunc eam fastidientes reciditis ad dogmata Pseudo-Apostolorum, non à spiritu Dei dictata, sed à carnis sensu profecta, ac vultis legis observatione carnalibus viribus ac operibus vestris salvari: Sic ad Gal. 4. v. 23. *secundum carnem natus est*, hoc est, carnalibus viribus genitus. Matth. 16. v. 17. *caro & sanguis non revelavit tibi*, hoc est, ex viribus, ingenio, eruditione humanâ admirandam illam noticiam non habes. Phil. 3. v. 4. *fiduciam habere in carne*, hoc est, rebus, genere, viribus, operibus humanis &c. Sic quoque hoc loco *secundum carnem*, id est, per has vires & bona opera. Et hujus locutionis causa est, si caro, id est, homo ipse, in se habeat ac præstet illam justitiam, quod tum non gratis à Deo imputetur: etiam si eam præstet jam renatus: nam & illa opera vox hæc complectitur. Deinde notandum est verbum *invenisse*, quod idem est, ac consecutum esse. Tertium est schema Rhetoricum *Interrogatio*, quæ negationem continet, illamq; auget, & efficaciorum reddit. Retento igitur hoc Interrogationis schemate, sensus Pauli est: *Quid igitur dicemus, justitiam consecutum esse Abrahamum patrem vestrum suis viribus ac bonis operibus? Remoto autem hoc schemate, & inficiatione in illo contentâ expressè positâ, simplex assertio Apostoli hæc erit: Hoc dicemus, Abrahamum nihil omninò justitiæ suis operibus consecutum esse.*

XI. Unde argumentum est per se manifestum: Qui nullam omninò justitiam coram Deo suis operibus consequitur: ille nequaquam suis operibus coram DEO justificatur: Atqui
Abra-

Abrahamus nullam omninò justitiam coram Deo suis operibus consequitur : Ergo & suis operibus coram Deo non justificatur. Ex quo porrò ultrò fluit hæc demonstratio: Quod Abraham suis operibus non potuit consequi; illud multò minus nos nostris operibus consequimur : At Abraham non potuit justitiam, coram Deo valentem, suis operibus consequi, & sic in illis justificari : Ergo multò minus nos in nostris operibus justitiam, coram Deo valentem, consequimur, & in illis justificabimur. Major est certa. Abrahamo enim pietate nequaquam pares sumus. Atque sic ex primo hoc argumento patet, quod hoc loco non dicatur Abrahamus per suam justitiam inhærentem justificatus.

XII. Secundum argumentum continetur versu secundo: *Nam si Abraham ex operibus justificatus fuit, habet, quod gloriatur, sed non apud Deum:* ac desumptum est ab effectu sive consequente ad causam, & est syllogismus hypotheticus negativus: Si Abraham operibus justificatus est apud Deum, habet gloriationem apud Deum. At falsum est consequens: non habet gloriationem apud Deum: Ergo etiam non est operibus justificatus apud Deum. Quia autem aut fide, aut operibus justificamur, cum nulla alia ad salutem via supersit: Abraham verò non est operibus coram Deo justificatus: sequitur, quod fide coram Deo justificatus sit. Quod ergo quædam nihilominus justitiæ laus à scriptura Abrahamo tribuitur, id tantum coram Ecclesiâ & hominibus, non verò coram Deo, & in ejus severo judicio valere simul docet Apostolus: Atque eo ipso ex justificatione omnem infusam Pontificiorum justitiam excludit, idque in Abrahamo jam regenerato: ut nullo modo nobis objicere possint Papani, agi de operibus sine gratiâ aut extra gratiam factis.

XIII. Tertium argumentum continetur v. 3. & sumitur à testimonio, Gen. 15. v. 6. *Quid enim scriptura dicit: Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei pro justitiâ.* Ubi primùm phrasis, *credere Deo* est notanda, & i. sciendum, quod Abraham non tantum credidit multitudinem seminis: sed in promissione il-

B

lâ po-

lâ potissimùm respexerit in verba præcedentia v. 1. *Ne timeas Abram, ego ero scutum tibi, merces tua multa valdè*: quibus omnia spiritualia bona continentur. Non enim ignoravit Abraham, sibi magis promitti spiritualem posteritatem, virtute dicti feminis acquisitam, quàm carnaliter propagandam: Proindeq; in spirituali hac posteritate præcipuè ejus caput aut regem, nempe semen benedictum fide respexit: 2. In Hebræo est credidit, *אָמַן בְּיְהוָה* in Deum: quod est confidere in Deum, ut etiam Patres & ipsimet Papistæ interpretantur.

XIV. Deinde additur: *Et imputatum est ei ad justitiam*. Ubi habes manifestè *justitiam imputatam*, ne Jesuita aliquis ogganiat, à nobis phrasin fictam esse: Habes & naturam ejus indicatam, cum dicatur v. 5. *imputari absq; operibus, sive non operanti*. Adeò non dogma tantùm, sed & dogmatis phrasés ac terminos ab ipsâ scripturâ habemus.

XV. Est ergo argumentum: Cui $\tau\delta$ credere, sive fides in Deum, sive semen benedictum imputatur ad justitiam; is justitiâ imputatâ, proindeque sine operibus & inhærente justitiâ justificatur: Atqui Abrahamo $\tau\delta$ credere, sive fides in Deum, sive semen benedictum fuit imputata ad justitiam: Ergo Abraham justitiâ imputatâ, adeoque sine operibus & inhærente justitiâ, fuit justificatus.

XVI. Major est certa. Nam credere sive fides, & opera itemq; justitia inhærensiva & imputativa hîc immediatè opponuntur; adeò ut positâ fide in actu justificationis tollantur opera: Et datâ justitiâ imputativâ, negetur inhærensiva; uti illud ex sequentibus adhuc magis innotescet.

XVII. Quartum argumentum est v. 4. *Atqui ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ, sed ex debito*. Est desumptum à naturâ contrariorum: quæ sunt: operari & non operari: merces & gratia: debitum & imputatio: Et in hunc modum formatur: Qui promeretur aliquid opere suo, res promerita non imputatur illi gratis, sed ut debita redditur: Atqui Abraham quando $\tau\delta$ credere sive fide justificatus est, justitia illi fuit imputata gratis, non ut debita reddita: Ergo Abraham, quando
fide

fide justificatus est, non pro merito est opere suo justitiam: Et per consequens sine opere & inhærente justitiâ est justificatus, solâ imputatâ Christi.

XII X. His subjicitur v. 3. à Becano citatus: Porro ei, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam. Hoc ipso autem idem probat Paulus, quod versibus præcedentibus, nempe Abrahamum, & sic neminem justificari operibus & justitiâ inhærente: Sed ut Abraham, sic omnes fideles justitiâ imputatâ: Proindeque falsum est commentum Jetuitæ, quod hoc loco phrasis illâ, *Deum justificare impium*, significet, ex impio expellere impietatem, & introducere sive infundere justitiam habitualem, ut sic reali alteratione ac justitiæ habitualis introductione ex impio fiat pius, ex injusto justus: Quandoquidem contextus satis evidenter demonstrat, quod Deus impium justificare dicatur, dum peccatori gratis ignoscit, & amore dignatur, cui jure irasci poterat: sive eum, qui in sese impius est, censet justum in Christo.

XIX. Ut enim in præcedenti versu dixerat; ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratiâ, sed ex debito: Sic à contrario versu hoc quinto volens notificare ac demonstrare, quod in justificatione & justitiæ imputatione hominis neque opera, neque meritum, neque debitum locum habeat, removet opera, quæ videntur aliquid mereri; & consequenter debitum, inquit, qui non operatur: Et in locum illorum substituit fidem, dicens: *Sed credit in eum, qui justificat impium* (hoc est, qui solus remittendo peccata, impium justum pronunciare potest) illi imputatur fides sua pro justitiâ, & sic justificatur sine operibus.

XX. Ut igitur ex præcedente versu intelligitur, quod tantum ibi, ubi opera sunt, meritum fit: Sic ex hoc percipitur & sequitur, quod ubi non sunt opera, sed tantum fides, ibi non fit meritum: ubi autem meritum non est, ibi est sola gratia: Ergo quia non operanti sive operibus, sed tantum credenti sive fidei hic tribuitur, quod imputetur ad justitiam; justitia quoque habitualis excluditur, quippe quæ & ipsa inter opera numeratur.

XXI. Est ergo quintum argumentum : In cuius justifi-
catione nullum est opus merens, sed tantum fides sine operi-
bus, & tō credere in eum, qui justificat impium, h. e. Christum;
illi sine operibus ex mera gratia imputatur fides pro justitia, &
sic justificatur : In Abrahami justificatione nullum fuit opus
merens, sed tantum tō credere in eum, qui justificat impium,
h. e. Christum : Ergo Abrahamo sine operibus ex mera gratia
imputata est fides pro justitia, & sic justificatus est.

XXII. Sextum est v. 6 desumptum à testimonio Psal-
mi 32. quod ita Paulus interpretatur, quod David explicet bea-
tificationem hominis, cui Deus imputet justitiam sine operibus. Ergo
excluduntur hic rursus omnes infusæ justitiæ. Uti etiam com-
modè locum hunc Dominicus Soto Segobienensis Hispanus suis
temporibus Papistarum antesignanus, de justitia imputativa
contra realem aut infusam exponit, cujus verba adscribam,
quò cernatur, quanta sit vis veritatis, ut ei etiam hostes cedere
& concedere vel inviti cogantur. Sic etiam : *Accersit etiam, in-*
quit, Psalmistam in testem ejusdem sententia ex Psalm. 32. Ubi nulla præ-
missa operum significatione, beatum vocat hominem, cui Deus non impu-
tat peccatum. Et primò disponit sententiam Psalmi, quæ est, hoc uno agi bea-
titudinem hominis, si Deus illi accepto fert justitiam sine operibus. Et mox:
At acceptum ferre (quod ad præsentem attinet expositionem) remissionem
significat debitorum. Cum enim creditor debitum remittit debitori, di-
citur illi acceptum ferre. Unde verbum juris dimanavit, acceptilatio. Vbi
scilicet debitor, qui non est solvendo, interrogat suum creditorem, utrum
acceptum habeat, quicquid illi debebat, hoc est, pro accepto ac soluto de-
putet. Tunc enim si creditor respondeat, habeo quidem, acceptumq; tibi fero,
remissio illa & condonatio, dicitur acceptilatio : quæ è regione opponitur
justæ solutioni. Pulcherrimâ ergo hic accommodatissimâq; oratione expli-
cat Paulus, tum id, quod dixerat, Reputatur fides ad justitiam, tum cla-
riusimè rationem nostræ justificationis. Cum enim nos solvendo non sumus
Deo, acceptum fert ipse nobis nostrum debitum, id est, pro accepto ducit, si
modò illi fidem pollicenti adhibeamus. Quocirca perspicacior esset, fateor,
versio : Cui Deus acceptam fert justitiam sine operibus, hoc est, sine debi-
ti solutione. Neque mirum, si interpret ita verterit, & librariorum
vitio

vitio fuerit mutatum. Attamen potest fortasse, accepto, adverbialis esse dativus, qui in eandem veniat sententiam. Affertur ex quibusdam quale quale exemplum, ut cum dicimus; Do tibi hanc rem pignori, seu locato, id est, in pignus seu pignore, vel in locatum. Quo pacto & Deus justitiam nobis fert accepto, i. e. deputat in acceptum, seu pro accepta. At dum sensus patet, nihil te angat dictio. Atque isthæc Papistici sive Patris sive Fratris expositio Paulinæ locutionis, quid sit alicui imputari justitiam Christi, probè notetur contra Jesuitarum corruptelas, quibus idem est, quod realiter infundi justitiam qualitatum sive virtutum.

XXIII. Argumentum ergo est: Cui Deus justificando imputat justitiam sine operibus, ex ejus justificatione sive beatificatione excluduntur omnia opera & infusæ justitiæ. Abrahamo Deus justificando imputat justitiam sine operibus: Ergo ex Abrahami justificatione excluduntur omnia opera & infusæ justitiæ.

XXIV. Versu 7. & 8. statim subjicit verba ipsa Psalmi: *Beati, quorum remissa sunt iniquitates, & quorum oblecta sunt peccata.* v. 8. *Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.* Quæ verba accuratam continent justitiæ, quâ coram Deo consistere possumus, definitionem, quod sit remissio, contectio & non imputatio peccatorum, nempe ob Christi justitiam imputatam. Nihil hîc audis misceri de illis nostris meritis, operibus, aut infusis qualitibus. Et, quod benè notandum, versu octavo definitur beatus, non is, qui non habeat peccatum, aut etiam, qui suis meritis expiaverit delicta sua, aut pro eis satisfecerit, qualis sanè nemo est aut erit: sed cui Deus non imputet peccatum, & propriam injustitiam; sed potius ipsi gratis imputet justitiam Filii sui: Ergo manent in sanctis revera peccata, sed contecta & non imputata.

XXV. Hinc pro septimo argumento ejusmodi extruitur dilemma: Definitio justificationis ex Davide repetita, & hîc ab Apostolo inculcata, aut est perfecta & plena, aut imperfecta & dimidia. Si perfecta & plena, verum est, quod docemus, justificationem solâ peccatorum remissione constare: Nulla enim hîc fit mentio justitiæ inhærentis, sed solius remissionis peccatorum.

rorum. Si imperfecta sive dimidia, tum eâ Beatus nemo potest dici: Non enim nisi ex parte justificatus esset: Et sic non justificatus. Nam imperfecta & dimidia justificatio nulla est. Cum in conspectu Dei non nisi perfecta justitia valeat, & consistere queat. Hoc dilemma planè irrefutabile, solvere per instantiam conatus fuit Becanus *de Justif. cap. 2. q. 5. S. 10.* Quomodo autem Isthmum perfoderit, demonstravimus disputatione nostra *12. th. 55. & seqq.* Ad summam! tam possibile est Jesuitæ, hoc solvere dilemma; quàm possibile ipsis est, in suâ theatricâ Missâ, creatorem omnium rerum creare: licet id impudenti ac blasphemore effutire non vereantur.

XXVI. Hinc evidentiâ rei ac veritatis convictus modò laudatus Dominicus Sotho, hæc Davidis, & Pauli verba eodè modo, quò nos, est interpretatus, sic in hunc locum commentans: *Subnectit jam verba ipsa Psalmi, in quibus tametsi expressè non fiat exclusio operum, tamen simul etiam hæc verba, remissa, recta, & non imputare, tantundem significant. Idem enim est acceptum ferre alicui debitum, quod remittere, & absq; solutione condonare. Id quod alius Propheta dixerat: sine argento redimemini. Et ad Titum Paulus: Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos. Vocat hanc autem beatitudinem, hoc nimirum seculo in spe, post verò futuro in re. Quoniam nullus illuc, post Adæ peccatum, patet nobis aditus, nisi per gratuitam hujusmodi condonationem &c.*

XXVII. Octavum argumentum est v. 9. & 10. *Beatitas igitur ista in circumcissionem solum, an & in præputium cadit? Dicimus enim quod imputata fuerit Abrahamæ fides pro justitia. Quomodo ergo imputata est, quum esset in circumcissione, an quum esset in præputio? non in circumcissione, sed in præputio. Est ergo argumentum à circumstantiâ temporis desumptum: Si Abrahamus est justificatus adhuc in præputio, antequam circumcissionem acciperet; utique neque ex operibus fuit justificatus, neque ex observatâ circumcissione, ut Judæi contendebant. At verum est prius: Ergo & posterius. Minor probatur: Circumcissionem enim à Deo demum accepit Gen. 17. cum interim multis annis ante justificatus legitur cap. 15. & circumcissione, justitiâ fidei, quæ erat in præputatio, hoc est, Abrahamo nondum circumciso, ob signata à Paulo dicitur* versu

versu sequente undecimo. Deinde si in justificationem secundam, Pontificiis dictam, ingrederentur opera & habituales justitiae, utique hoc circumcisionis opere, singulariter à Deo mandato, Abraham fuisse justificatus: At eum hoc opere justificatum esse, hic expressè negatur: Ergo planè nullo opere, sed solà fide fuit justificatus. Satis clara enim sunt verba Pauli, dicentis: *Justitiam fidei imputatam ei esse non in circumcisione, sed in praeputio.*

XXIIX. Decimum argumentum est v. 13. *Non enim per legem promissio cessit Abraham aut semini ejus, ut heres esset mundi, sed per justitiam fidei.* Est ergo argumentum: Per quod Abrahamo & semini eius est oblata hæreditas vitæ æternæ, per illud quoque justificatus est: At per justitiam Fidei, & non per legem Abrahamo & semini est oblata hæreditas vitæ æternæ: Ergo Abrahamus & semen eius per justitiam fidei, & non per legem fuit justificatus. Minorem probat Apostolus primò sequenti v. 14. Si n. conditione observatæ legis hæreditas Abrahamo & semini obtigisset, tum sequeretur absurdum: Quod inanis facta esset promissio illa, simulque fides, quâ Deus vitæ hæreditatem promittit & offert gratis credentibus. Deinde vers. 15. Quia quicquid iram operatur, ex eo non potest sperari possessio vitæ æternæ: Lex iram operatur, nempe accusando, damnando, & propter transgressionem omnes homines iræ Dei subjiciendo: Ergo ex eâ non potest sperari possessio vitæ æternæ: Ergo si non ex lege, (concludit Apostolus v. 16.) utique ex fide.

XXIX. Atque hæc sunt argumenta, quibus in priore parte capitis quarti ad Romanos probat Paulus, Abrahamum, Patrem omnium fidelium, non justitiâ inhærente, sed justitia fidei & imputatâ justificatum esse: Quæ propterea ordine resolvere volui, partim ut ad oculum demonstratum constet, quàm crassissimè hallucinentur Becanus & Jesuitæ, quando ex hoc capite, verbi *justificare* novam suam & Papisticam significationem effingere satagunt, nobisque persuadere, quasi vers. 5. *justificare* idem sit, quod justum facere, ut frigus facere, est frigidum efficere: partim etiâ ut statim in initio hujus nostræ disputationis

rationis certum manifestumque sit, quid Paulus Apostolus per verbum *justificare* intelligat, quomodoque justificationem definiat, & quidem hoc ipso in loco, in quo, tanquam in propria sede, & ex professo de illa agit: Nempe, ut Abraham non ex operibus, sed gratis ex fide est justificatus: quod sic omnis ejus spiritualis posteritas non ex operibus, sed gratis per fidem justificetur: proindeque hæc nostra de gratuita justificatione fidei absque operibus non sit religio nova, ut Pontificii calumniantur: sed antiquissima, proindeque verissima.

XXXII. Cæterum ad Autoritatem Augustini sæpius in nostris disputationibus de justificatione responsum est, illum quoad rem ipsam, nempe gratuitam remissionem peccatorum, & hominis receptionem in gratiam apud Deum, idem, quod nos statuere, licet verbo *justificare* paulò aliter atque latius nonnullis in locis utatur, quam Apostolus Paulus, idque occasione Disputationum, quas cum Pelagianis frequentes habuit.

XXXIII. Sic nobiscum & statuit, & loquitur Tom. 4. lib. 1. ad Simplicianum, q. 2 mihi pag. 630. A. *Ex vocatione dictum est ei, quia major serviet minori: non electione meritorum, que post justificationem gratie proveniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. Gratiã enim Dei salvi facti sumus: & hoc non ex nobis, Dei donum est: ne forte quis extollatur.* Et in immediatè subsequentibus hanc movet quæstionem: *Queritur, ait, utrum vel fides mereatur hominis justificationem.* Respondet autem negativè; docens, misericordiæ divinæ illam adscribendam, nullo modo meritis fidei. Et Tom. 7. Epist. 120. cap. 30. mihi pag. 609. b. c. *Hoc ipsum, quod Deus justificat homines, nimis occulto judicio facit, quoniam gratuita gratia. Si autem gratia, non ex operibus, alioquin gratia jam non esset gratia. Ex hoc quippe incipiunt bona opera, ex quo justificamur, non quia precesserunt, justificamur, & hoc est profundum.* Et mox (d) *Non est illa (justitia) intelligenda, quã Deus justus est, sed, quã justi sunt nomines, quos gratia suã justificat. Inde enim salvi, unde justi, quoniam quod ait: Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus: exposuit in consequentibus, dicens: Non veni vocare justos, sed peccatores. Non igitur secundum opera justitiæ, quam nos facimus, sed secundum suam misericor-*

ricor-

Recordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. In qua gratia spe
salvi facti sumus. Et mox pag. 610. a. Hinc iustitia Dei contraria super-
bia est, quâ ficitur tanquam de operibus propriis &c.

XXXIV. Cæterum apud Eccles. 18. vers. 22. quomo-
do demonstrabit Becanus, *justificare* idem esse, quod *justiorem*
efficere? Quando quidem inibi nihil aliud traditur, quàm *justi-*
ficationis innovatio. Quis autem concedet Becano, innova-
tionem esse auctiorem? Non nisi stultus, qui nesciat, quid di-
ferat æra lupinis. Concedimus quidem, quod dicit ac innuit
Ecclesiasticus, petendum esse à Dominò, ut *justificatio* nostra
subindè usque ad mortem innovetur, & sic continuetur: Sed
pernegamus cum universâ Scripturâ, quod circa hunc locum
fingit ac mentitur Becanus, *justificationem* augeri posse. Ut
enim falsissimum hoc commentum, ita planè impossibile est.
Prius probandum fuisset, in *justificatione* considerari opera,
virtutes, & dona in nobis, ut iis auctis ac diminutis, ipsa quoq;
justificatio continuata magis vel minus reciperet.

XXXV. At verò hæc nihil ad *justificationem*: quippe
in quâ non illa, sed Dei spectatur gratia, omnem istiusmodi in-
æqualitatem & auctiorem respuens: Spectatur insuper meri-
tum Christi, quod cum absolutè sit perfectum, & in *justifica-*
tione totum apprehendatur, itidem neq; magis neque minus
recipit: Spectatur tandem & fides, quæ quidem in se confide-
rata ut qualitas, imperfecta est, ac intendi quit & remitti: quia
verò non ut qualitas, ac sic suâ vel firmitatis vel infirmitatis ra-
tione ac consideratione, ingreditur *justificationem*, sed solius
sui relati respectu, nempe meriti Christi, quod, ut diximus, æ-
quabile semper & sibi simile est, & sic ratione *justificæ* poten-
tiæ, quam non ex & in se habet, sed ex & in relatiõ suõ, nulla
est inter firmam & infirmam fidem differentia: proindeque ejus
auctio vel diminutio nihil ad *justificationem*. Falsissima igitur,
inquam, est glossa Becani.

XXXVI. De renovatione verò loqui Ecclesiasticum,
probatu ac explicatu haud difficile est. Nam 1. quia *justifica-*
ti quotidie peccamus, proindeque pro remissione peccato-
rum

rum DEUM invocare tenemur, debemus & cogimur, & verò remissio peccatorum ipsa est justificatio; idcirco fit, quando DEUS nostras preces exaudit, & quotidie nobis nostra peccata remittit, ut indies quoque justificationem nostram, non quidem, ut sanctificationem augeat, sed innovet. 2. Deinde quia fides justificans non duntaxat in primò momentò nostræ cum Deò reconciliationis, nobis ad justitiam imputatur, (quasi postea non amplius ad justitiam imputeretur) sed ille imputationis actus necesse est semper & quotidie continetur, idque cum primis, quando fides suam vivificam ἐνεργειαν, nempe fiduciam in Christum, actu exerit: quod Abraham faciebat, cum Dei vocem audiret, *sic erit sementuum*, eiq; crederet, Deus hanc ipsam fidem, quâ antea justificatus erat, etiam tum imputare ad justitiam perrexit. Idem sentiendum de dictò *Apoc. 22. v. 4.*

XXXVII. Quod attinet dictum ex Epistolâ Jacobi cap. 2. v. 24. allegatum, respondemus distinguendo inter fidem veram, quam nos in hac disputatione perpetuò urgemus: Et hypocriticam fidei jactantiam; qualis est fides Papistica, quæ, quia non in corde accenditur; sed in ore sine ullò cordis affectu & fiduciâ nascitur, proindeque præter verba ac vocum clamores nihil habet; non verè, sed æquivocè fides dicitur. Non de illâ, (ut Paulo in suis Epistolis) sed de hac Jacobo instituta est disputatio.

XXXVIII. Paulo enim fuit res partim cum Pharisæis hypocritis, hoc est, ejusmodi hominibus, qui solis suis operibus, non tamen sine gratiâ Dei factis, justificari volebant, sicut ille in templò orans Pharisæus, *Luc. 18.* partim etiam cum Pseudo-Apostolis, qui opera & virtutes illas cum merito Christi conjungebant, proindeque partim per Christi meritum, partim per bona opera & virtutes, more Papistarum, justificari volebant, ut Galatæ. Jacobo contra certamen est cum Evangelicis semiepicureis, qui fidem suam salvificam jactantes, atque de professione Christianismi tumentes, securè non tantum justitiam salutemque operibus detrahebant, sed

sed etiam ipsa opera, tanquam prorsus non necessaria, negligebant.

XXXIX. Illi non tantum opera stabiliebant; sed simul Christi justitiam, & in ipsum fiduciam plane tollentes, justitiam operum asseriebant. Hi contra de justitia atque in Christum inani fide tantoperè carnaliter securi, non justitiam duntaxat operum; sed ipsa quoque opera contemnebant. Illi opera in causâ efficiente justitiæ ac vitæ æternæ collocabant: Hi ne quidem inter fructus aut effectus justitiæ eis locum ullum concedebant. Illic ergò quæstio volvitur de justitiæ verâ causâ efficiente; hic de effectis, tanquam necessariò consequente. Illic à causâ ad effectus necessarios descenditur; hic contra ab effectis necessariis ad immediatam causam ascenditur. Illic litigatur, quomodo justificemur; hic quomodo jam justificari declaremur, & cum à nobis ipsis, tum ab aliis hominibus cognoscamur. Illic opera, tanquam justificationis efficientia, excluduntur; hic eadem, tanquam ejus effecta, asseruntur. Illic opera præcedere justificationem negantur; hic sequi justificatum affirmantur. Ac proinde cum illis disputatur de justitiâ coram Deo valente, per veras causas efficientes consequendâ: cum his verò de justitiâ jam partâ per suos fructus effectusve coram Ecclesiâ demonstrandâ.

XL. Has diversas occasiones scoposque tractationis duorum illorum Apostolorum facile animadvertit, qui vel mediocri diligentia illorum scripta evolvit. Paulus enim suos semper in conspectu habens, & scopum & adversarios, disputat, opera, virtutesque prorsus ex causâ efficiente justitiæ ac salutis excludenda, proindeque nec partialem, nec totalem salutis causam, aut ullò omninò modò ipsorum præsentiam ad salutem nostram asserenda esse: sed unicum Christi meritum sive justitiam obedientiæ ac passionis fide apprehensam nobisque imputatam, solitariam, totalemque causam constituendam, definiendam & agnoscendam esse: Jacobus contra id agit, ut securos, & semiepicureos Evangelicos

cos sive Christianos, de inani persuasione securitateque, ex
solâ professione fidei conceptâ, dejiciat ac monstret, omnino
faciendos esse fructus convenientes poenitentiae, & sic fidem
justitiamque & vitam fide partam per novam obedientiam de-
monstrandam esse: quod si tales fructus non edant, non sint
bonae arbores, aut viva Christi membra, neque in corde suo
habere veram ac salutarem fidem in Christum. Quocirca
omni modo urget operum virtutumque & novae obedientiae
necessitatem: non quod illa fidem aut justitiam gignat,
sed quod ab illâ gignatur, eoque opera ejus sint infallibiles indi-
ces, eundem planè in modum, ut Johannes inquit: *Filioli, ne-
mo vos decipiat, qui exercet justitiam, justus est*, 1. Epist. cap. 3. v. 7.
quod si non praestet fructus convenientes poenitentiae & bonae
arbori, ejus fides est planè mortua, diabolicaque & non
salutifera.

XL I. Hunc verò, & nullum alium scopum esse Apo-
stoli Jacobi, adhuc paucis monstrandum est. Nam 1. in
praecedente capite auditores suos, sive illos, ad quos scri-
bit, obliquè vocat auditores & non factores sermonis DEI,
cap. 1. vers. 22. *Sitis, inquit, factores sermonis, & non auditores
solum, fallentes vosmetipsos &c.* Illis ergo scribit, qui solâ o-
ciosaque speculatione verbi & cognitionis DEI contenti fue-
runt, tenentes captivam veritatem in injustitia: proindeque in-
digeant adhortatione ad fructus aut praxin usumque receptae
regenerationis ac sermonis Dei. Nam factores sermonis, il-
los intelligit, qui lege Dei convertuntur, Evangelioque con-
solationem ac fidem in Christum concipiunt, ejusque man-
dato promissionibusque excitati, assidue patrem coelestem in-
vocant, ejusque omnigena bona precario suppliciterque men-
dicant, & denique novae obedientiae, omniisque pietati ac honestati
sedulo incumbunt.

XLII. Deinde cap. 2. v. 14. statim in initio hujus quae-
stionis: *Qua utilitas, inquit, fratres mei, si fidem dicit aliquis ha-
bere se, facta però non habeat? Num potest fides salvum facere il-
lum?*

lum. ? Cautè : Si quis dicat, se habere fidem : non ait, si quis verè habeat fidem. Sensus ergo est : si quis temerè somniet, aut etiam jactet, se habere fidem. Itaque post v. 17. *Fides se opera non habeat, mortua est.* Cum enim omnia sic à DEO sunt ordinata effectaque, ut viva sint & agentia, ipsiq; auctori velut fructificentur, utique indicare vult Jacobus, quod ista eorum simulata fides perinde sit ipsis inutilis ac mortua, sicut DEO quoque est inutilis ac mortua, non glorificans eum convenientibus honorum operum fructibus : Quò etiam referri potest, quod Paulus dicit ac docet. 1. Cor. 4. v. 20. *Non in verbis situm est verbum DEI, sed in virtute.* Et Thomas Aquinas citat in hunc locum Jacobi glossam, sic eum exponentem : *Sicut sola verba pietatis nudum & esurientem non recreant, si non prabeatur cibus & vestis : Ita fides verbotenus non salvat.* Consentit utique nobiscum, agi hìc de hypocritica charitate & fide, quæ non salvificat.

XLIII. Cæterùm significatio verbi *justificare*, quam tertiam fecit Becanus, est vera illa forensis, quam nos urgemus, & omninò sic accipitur allegatò locò *Proverb. 17. v. 15.* Rectè enim Chemnitius de illò : *Justificare*, inquit, *in hoc & similibus scriptura locis idem est, quod absolvere.* Estq; hoc vocabulum ab actionibus judicialibus translatum ad articulum justificationis coram DEO, ac opponitur verbo condemnare, ut ex Rom. 8. capite patet. Justificatio autem iniqui iudicis, quâ impium justificat, in eò distat maximè à justificatione, quâ justus DEUS impium justificat. Nempe illa excretur, & impius justificatur contra justitiam : hæc justificatio consentiente justitiâ, quippe acquiescente in meritò Christi.

XLIV. Pergit Becanus & §. 2. ex præmissis hætenus examinatis ac refutatis triplicem quoque Nominis *Justificationis* potestatem colligit : Nempe quod sumatur 1. pro acquisitione *Justitiæ* : propterea, quod is, quem DEUS justificat, dicatur acquirere justitiam 2. pro augmentò *justitiæ* : quod justitia hæc latitudinem habeat, proindeq; is, qui eam semel nactus est, in eà crescere & proficere possit 3. pro declaratione *justitiæ* : Cum suspectus

aut etiam reus iniustitia possit pronunciarī & declarari, tanquam
justus, etiamsi justus non sit.

XLV. Sed opus non est prolixâ hîc responsione. De-
structô enim fundamentô, per se corruunt, quæ superstructa
sunt. Illud hætenus præstitimus, quando triplicem signifi-
cationem verbi *justificare* solidis & apodicticis argumentis re-
furavimus & rejecimus; per se ergò inde derivati nominis *ju-
stificationis* triplex significatio evanescet.

XLVI. Ut autem adhuc aliquid respondeamus, mo-
nendûm iniriô ducimus, primæ significationis rationem sophi-
sticam esse. Nam *acquirere justitiam*, duplici potest modô in-
telligi, 1. per imputationem 2. per habitalem inhætionem. Illam acquisitionem concedimus, quia eam scriptura conce-
dit ac docet. Hanc licet in sanctificatione non negemus: ni-
hil tamen ad justificationis actum pertinere, constanter ex scri-
pturâ asserimus.

XLVII. Deinde secundæ significationis rationem, ut
falsam simpliciter rejecimus. Quod enim simplicissimum ac
perfectissimum est, perfectissimeq; confertur, id ejusmodi la-
titudinem, qualem Aristoteles fingit in *μεσοτήτι* virtutum
moralium, planè respuit: quid? quod ejusmodi justitia esset
imperfecta: quæ coram DEO hominem justificare nequaquam
potest: cum non nisi perfectum vereque justum DEO gratum
& acceptum sit.

XLVIII. Tertiam significationis rationem licet non
per omnia negemus, non tamen simpliciter admittendam esse
putamus: cum ambiguè & Sophisticè formata sit, ut tantum
injustis iudicibus, qui injustum contra omne jus & æquum ju-
stificant, & justum damnant, ejusmodi Justificationis signifi-
catio ac modus tribui possit. Nos quidem à Paulò docti Justi-
ficationis forensam significationem (peccata condonare, re-
mittere, non imputare) defendimus: quod significet, ab illis
absolvere &c. non autem contra jus & æquum, sed consentien-
te probanteq; eam justitia, nempe (ut diximus) quiescente in
meritô & satisfactione Christi, fide applicatâ. Deinde ita ju-
stifi-

ustificatus, non simpliciter nobis injustus dicitur, vel est, vel
censetur: quippe in conspectu Dei ac coram tribunali justissimo
justissimi Dei justus est, censetur, habetur, pronunciat. Quis
verò hominum, vel Angelorum, vel etiam Diabolorum in-
tentabit crimen adversus eum, quem ita Deus justificat, Rom.
8. v. 33.

XLIX. Restat adhuc tertium membrum hujus quæ-
stionis. De quò Beccanus §. 3. *Ex his tribus acceptionibus, in-
quit, Catholici sumunt justificationem primò & secundò modò, nem-
pe pro acquisitione & augmentò justitiæ: Calvinista, tertio modò,
pro declaratione justitiæ. Hi suprâ refutati sunt. Est ergò, quod
ad hunc locum attinet, duplex justificatio ex sententiâ Catholicorum,
prima & secunda. Prima consistit in acquisitione justitiæ. Secun-
da in augmentò ejusdem. Prima est gratuita: Secunda ex meritis
bonorum operum. De primâ loquitur Paulus, Roman. 3. vers. 24.
Justificati gratis per gratiâ ipsi. Et infra: Arbitra-
mur justificari hominẽ per fidem sine operibus legis.
Et Ephes. 2. v. 8. Gratiâ salvati estis per fidem, non
ex operibus. De secundâ loquitur Jacobus, cap. 2. vers. 24.
Videtis, quoniam ex operibus justificatur homo,
& non ex fide tantum. Hinc patet, Paulum & Ja-
cobum non pugnare inter se, cum alter negat, hominem justificari ex
operibus: alter affirmat. Nam Paulus, qui negat, loquitur de primâ
justificatione; Jacobus, qui affirmat, de secundâ. Item, Paulus
de operibus à peccatore; Jacobus de operibus ab homine justò pro-
fectis.*

L. Primùm quomodo sententia nostra de justificatione,
quousque eam defendit Calvinus, refutata sit, illud vidimus in
disputationibus præcedentibus. Deinde duplicem esse Ju-
stificationem: Primam, quæ in acquisitione justitiæ habitua-
lis: Et alteram, quæ in ejusdem augmentò consistat; illa que
gratuita sit, hæc ex meritis bonorum operum: Utramq; ut Sa-
crâ Scripturâ ignorat; sic etiam neutram nos probamus. Quan-
do quidem nullus ex universâ scripturâ adduci potest locus, in
quò

quò justificationis vox significet justitię habitualis infusionem,
multò minus ejusdem augmentationem.

L I. Consultitur quidem Scriptura, petitur aliquid ali-
cunde: quod si verò etiam sequi noli, obruto collò torquetur.
Quod etiam allegatis Scripturæ dictis usu venit. Primum n. in
æternum non probabunt Becanus & Socienni, χάρις, gratiam,
in hoc argumentò, & sic in specie hoc ipsò locò Rom. 3. v. 24.
significare habitum infusum: Sic enim argumentamur: ἀγά-
πη, ἔλεος, χρηστότης καὶ Φιλανθρωπία DEI non si-
gnificāt qualitatem infusam & justitiam inhaerentem sive habi-
tualem, sed gratuitum miserentis DEI favorem, quò homines
prosequitur: At χάρις sive gratia, quā hoc locò Apostolus
Paulus dicit, nos justificari, est ἀγάπη, ἔλεος &c. Ergò non
significat qualitatem infusam & justitiam inhaerentem.

L II. Minor probatur, Ephes. 2. v. 4. Διὰ τὴν πολλὴν
ἀγάπην, propter multam charitatem suam, quā dilexit nos. Et v. 5.
statim addit: Nos, cum per lapsus mortui essemus, unā vivificavit
cum Christo; χάριτι ἐστὲ σωσμένοι, gratiā servati estis. Et v. 7.
ut ostenderet in seculis succedentibus τὸν ὑπερβάλλοντα πλοῦτον
τῆς χάριτος αὐτῆς, summas opes suae gratiae, ὡς χρηστότης ἐφ, ἡ-
μῶν, bonitate erga nos in Christo Jesu. Sic ad Titum 3. v. 4. 5.
Sed postquam ἡ χρηστότης καὶ Φιλανθρωπία, bonitas & erga ho-
mines amor Servatoris nostri DEI, non ex justis operibus, quae feci-
mus nos, sed κατὰ τὸν αὐτῆς ἔλεον, ex suā misericordiā servavit nos.
Item Hebr. 4. v. 16. Accedamus ergò cum fiducia ad thronum
τῆς χάριτος, ut consequamur ἔλεον καὶ χάριν, misericordiam
& gratiam. Sic 2. Thess. 1. v. 11. ut compleat πάντων ἔλεος ἀ-
γαθωσύνης, omnem suae bonitatis gratuitam benevolentiam. Phil.
2. v. 13. DEUS ἴσθι, qui effecit in vobis, ut velitis, & ut efficiatis
ὑπερ τῆς ἔλεος, pro gratuita suā benevolentia. Conferatur
Ephes. 1. v. 6. & 9.

L III. Cæterum de locò hoc Rom. 3. v. 24. supra fusius
egimus disput. 3. thes. 56. & seqq. Illud tantum hoc locò no-
tetur, quod particulā δωρεὰν gratis, non significetur proprie
caussa efficiens justificationis, ut sibi imaginatur Becanus &
Bellar-

Bellarminus, sed potius falsa causa, nempe meritum operum
reijciatur, eaque rejecta adferatur vera hujus tanti beneficii
efficiens, & nequaquam formalis, utpote justitia infusa. Uti
etiam hunc locum interpretatur Ambrosius: *Justificati sunt gra-*
tis, inquit, quia nihil operantes, (quò opera fidem præcedentia
excluduntur) *neq; vicem reddentes,* (quò opera fidem consequen-
tia planè negantur) *SOLA fide justificati sunt:* Et statim gratiam
illam interpretatur voluntatem DEI, quando sic pergit: *Gra-*
tiam Dei in Christo esse testatur, quia voluntate Dei a Christo redem-
pti sumus.

LIV. Sic versu 28. Rom. 3. demonstratur satis claris ac
emphaticis verbis, justificationem fieri solâ fide sine operibus:
Quare nullò indicio probabit Jesuita, doceri inibi ejusmodi
justificationem, quæ fiat per infusionem habitualis justitiæ, uti
etiam nulla omninò ratione, vel saltem in speciem probabili,
ostendet, hîc agi de justificatione prima, & præter illam adhuc
aliam esse, quæ contingat ex meritis operum.

LV. Cæterùm Jacobum asserentem cap. 2 v. 24. *ex operi-*
bus justificari hominem, & non ex fide tantum: non contradicere
Paulo, libenter concedimus: Paulum verò loqui de prima, &
Jacobum de secunda justificatione, ut à Pontificiis extra omne
verbum Dei confinguntur ac dividuntur, falsissimum est. Ve-
ram causam modò attulimus. Nimjrum Jacobo, non ut Pau-
lo institutam esse, de vera fide disputationem, sed de historica
hypocritica, mortua & Jesuitica. Disputabat enim (ut dixi-
mus) contra semiepicureos Evangelicos; cum Paulus urgeret
solam fidem contra Pharisaicam hypocrisin.

LVI. Mentiar, si veteres non consentiant. Videatur
Augustinus ipse, quem illi testem laudant, *capite decimò quintò*
de fide & operibus. Longum foret, omnia ejus verba adscribe-
re. Unicum locum ex quæstione septuagesima sexta in octo-
ginta tribus quæstionibus adduxisse sufficiat: *Quoniam Aposto-*
lus Paulus predicans, justificari hominem per fidem sine operibus, non
benè intellectus est ab iis, qui sic acceperunt dictum, ut putarent, cum
semel in Christum credidissent, etiamsi malè operentur, & facinorose
flagi-

D

flagi-

flagitioseve viverent, salvos se esse posse per fidem: locus iste hujus Epistola eundem sensum Pauli Apostoli, quomodo sit intelligendus, exponit. Ideo, magis Abrahæ utitur exemplò, vacuam esse fidem, si non benè operetur, quoniam Abrahæ exemplò etiam Paulus Apostolus usus est, ut probaret, justificari hominem per fidem sine operibus legis. Cùm enim bona opera commemorat Abrahæ, quæ ejus fidem comitata sunt, satis ostendit, Paulum Apostolum non ita per Abraham docere, justificari hominem per fidem sine operibus, ut si quis crediderit, non ad eum pertineat benè operari: sed ad hoc potius, ut nemo meritis priorum bonorum operum, arbitretur, se pervenisse ad donum justificationis, quæ est in fide.

LVII. Quid manifestius, nostræq; sententiæ magis consentaneum desiderare possunt Pontificii? Docuerat Paulus, justificationem esse ex fide sine operibus legis: Ergo inquebant Semiepicurei Evangelici, quos refutabat Jacobus. nihil est necesse, qui fidem profitentur, benè vivere. De vita itaque post justificationem instituendâ concludebant, & Jacobus respondebat non de justificatione ipsa: qui scopus Apostoli Pauli erat. Quare figmentum illud de duplici justificatione Papistica novum ac vanum est: neque Apostolo Paulo, neque Jacobo à Spiritu sanctò inspiratum, sed nudius tertius in Papanò cerebro natum.

LVIII. In allegatò ergo versu non agitur de justificatione ut tali, sed de illa, ut declaratur & comprobatur. Quandoquidem concludit exemplum Abrahami, quod non tantum per fidem, sed etiam per opera sit justificatus, nempe declaratus & comprobatus justus, cum coram Deò antea, & quidem dudum esset justificatus, ante omnia opera & sine operibus ex mera gratia, ut scriptura testatur, & Paulus copiosè ostendit, præsertim Rom. 4. Hac ergo ratione & alios justificari ait. Consentit Thomas in v. 22. c. 2. Jac. *Quoniam fides cooperabatur operibus illius, id est, fides, per quam antea justus erat, duxit eum ad opera.* Et ex operibus scilicet sequentibus fidem, fides consummata est, id est, augmentata, comprobata, & ostensa, Genes. 22. Nunc cognovi, quod timeas DEUM. Quare etiam idem Thomas unâ cum

cum glossa ordinaria dicit in versu 22. prædicari fidem Abrahæ à sua efficacitate. Nihil ergo ex his de justificatione prima & secunda comprobatur, sed potius rejicitur.

LIX. Cæterùm quæstione secunda quærit Becanus: *quid sit prima justificatio.* Et in resolutione primùm illam distinguit. Deindè alteram, quæ hujus considerationis, describit. Et tandem statum controversiæ exponit.

LX. Ad quæstionem ergo ipsam dicimus, frustrà quæri, quid sit res, quando nondum constat, an sit, & quod sit. Negavimus hæctenus ejusmodi primam justificationem, & quidem non sine gravissima causa: quod Spiritus S. eam nesciat, imò neget. Sed ad rem.

LXI. *Prima justificatio* (inquit Becanus S. I.) *duplex est: Altera, quâ quis ex non justò fit justus; quò pacto primi parentes in paradiso, & Angeli in suâ creatione justificati sunt. De hac non agimus.* Cautè, nò agimus de hac, ait Becanus: quia de ea agi nequit, quippe non Ens: Quare præter rem ac modum subtilis est noster sophista.

LXII. Dicit. *Justificatio omnium prima est, quâ quis ex non justò fit justus.* Quisnam est ille quis? Explicat Becanus: primi homines sunt & Angeli. *Illi enim* (addit) *primâ hac justificatione justificati sunt.* Quid audio? Ergo Deus primùm creavit non justos homines, & non justos Angelos: quos postea justificavit. At Becane, si creavit non justos homines Deus, itemq; non justos Angelos justificandos: creavit injustos. Nam homo itemq; Angelus non potest non esse, quin sit vel justus, vel injustus: Etenim id, quod neque justum, neq; injustum est, brutum est. Ut enim animal aut rationale est, aut irrationale: Et quod neutrum est, animal non est: Item ut Elementum, vel grave, vel leve est: Et quod leve vel grave non est, non est Elementum: Sic homo vel Angelus aut justus est, aut injustus, & qui neque justus neq; injustus est, nec homo, nec Angelus est. Si ergò hominem itemque Angelum in primâ creatione Deus creavit non justos, & sic injustos: Utrique 1. Deus est autor peccati. Blasphemum. 2. Hæc justificatio ab illâ, de quâ
D 2 in præ-

inpraesentiarum agitur, non distinguitur, & negatur Jesuita.

LXIII. Melius forsan dixisset: Prima justificatio est, quâ ex non justo fit justus, id est, homo justus vel Angelus justus. Sed neq; sic defendi quirit Jesuita. Nam subjectum *non justum*, vel substantivè more Græcorum est sumendum sive intelligendum: vel communiter & adjectivè. Si illò modo, tum *non justum* est idem, quod non justitia: atque tum sensus erit: *Ex non justitiâ fit justus*: quod falsum: ut falsum est, ex non caliditate fieri calidum: cum id fiat ex non calidò & caliditate. Et Logicè, non ex non justitia, sed ex justitia fit justus; h. e. ex ea, & ab ea denominatur.

LXIV. Si adjectivè accipiat, tum terminus *non justum*, idem est, quod Ens non justum, estq; sensus definitionis: *Justificatio est, quâ ex Ente non justò fit justus*: Atq; sic non affirmatur, *non fieri justum* de simpliciter non Ente, sed de Ente; quod non est justum: haud secus ac *non videns* dicitur de lapide: qui quidem Ens est, sed neq; videt, neq; cœcus est.

LXV. Hoc verò modo & in subjectò & prædicatò vitium est, & Becanus se defendere nullò modò potest. Vitium est in subjectò: Id enim respectu hominis & Angeli unum esse debebat: ut una esset hæc prima justificatio, quâ simul & homo & Angelus in prima creatione justificatus fit: id verò duplex est, nempe *Ens non justum*, & *non Ens non justum*. Nam homo justus factus est ex Ente non justò, hoc est, ex terra. Et Angelus ex non Ente non justò, nempe *ἀπλῶς* & immediatè ex nihilò creatus. En fecunditatem justificationis Jesuiticæ: prima hæc justificatio hætenus gravida fuit in sinu Becani; ad Lutheranos veniens statim parturit, & nascitur mirabile & ridiculum monstrum, nempe nova justificatio, quâ ex non Ente non justò fit justus Angelus.

LXVI. Unitate igitur sic auctâ, quadruplex est justificatio Jesuitica: 1. *Quâ ex Ente non justò fit justus*: 2. *quâ ex non Ente non justò fit justus* 3. *quâ ex injustò fit justus*, & 4. *quâ ex justò fit justior*.

67. Si.

LXVII. Si Jesuita essem, adhuc unitate augerem hanc
Justificationis familiam ratione prædicati, & quintam ita de-
finirem: quâ ex justiore sit justissimus: ut Pontifex Romanus &
Jesuita: quippe & hi videntur respectu cœterorum Monacho-
rum & Clericorum justissimi.

LXVIII. Sed redeamus ad novellam Justificationem
ex non Ente non justo. Ira sanè ex sententiâ Becani subjectum
ratione Angelorum formandum est: Sed pro DEUM immor-
talem, monstruosissimum. Quid enim est non Ens non justum?
Est nihil, est contradictorium, est absurdissimum, est, inquam,
monstruosissimum. Resolvamus terminum, ut in apicò sit ve-
ritas. Terminus Non est non justum dicit ejusmodi Non
Ens, quod quidem non Ens est, sed simul Ens, & non justum:
Nam Non justum adjectivè seu denominativè dicit Ens non ju-
stum; En nihil, quia est non Ens negativum: En contradic-
tionem: quia est non Ens, quod Ens est, nempe Ens non justum,
hoc est, non justum Ens. En absurdissimum & monstruosissimum,
quia abhorret ab omni Entitate, adeò, ut ne intellectus quidem
subtilissimus Jesuiticus id fingere & sibi imaginando represen-
tare possit, nempe non Ens compositum ex non Ente & Ente
non justo.

LXIX. Si hæc non sunt absurda, nemo unquam ali-
quid absurdi dixit vel cogitavit. Cautè ergo factum, quod de
hac justificatione nihil egit Jesuita: absurda enim absurdis
cumulasset. Cum unò absurdo etiam levi, nedum tantò &
tam crasso, posito, infinita sequantur.

LXX. Pergit Becanus ad alterum suæ ἀναλύσεως mem-
brum, & primùm definitionem proponit cum ejus probatio-
ne. Altera (nempe justificatio,) quâ quis ex injusto fit justus: quò
pactò peccatores justificantur. Hæc vocatur justificatio impii, &
ad hunc locum pertinet. Potest autem describi hæc modò: justifica-
tio est translatio hominis à statu peccati in statum gratiæ, ut colligitur
ex illò Colossens. 1. v. 13. Qui eripuit nos de potestate
tenebrarum, & transtulit in regnum Filii sui.
Epi. Pet. 2. v. 24. Ut peccatis mortui justitiæ vivatis.

LXXI. Nota initiō : *Altera*, inquit Becanus : Si est altera : Est numerō secunda : Ergō est secunda prima justificatio. Mirum Sophistam ! Contradictio est. Sed transeat.

LXXII. Deinde justificatio hæc omninō est, quā quis ex injustō fit justus, ideoque peccatores justificantur, atque propterea vocatur justificatio Impii : Non verō ita dicitur respectu alterius alicujus justificationis (ut somniat Jesuita) quā justus justificetur. Quandoquidem contradictio est, justum justificari, quatenus justum : Cum omnis justificatio sit remissio peccatorum : Et omne peccatum in tergo quandam habet impietatem : Quare ? quia etiam justissimus non est sine peccatō, ipsi in oratione Dominicā orandum est : *Pater noster, dimitte nobis (& sic mihi) debita nostra : & sic quoque mea : Et pro remissione peccatorum invocabunt eum omnes Sancti* : Ergo etiam in pios cadit remissio peccatorum, sed non quatenus pii & justi. Nam in hoc justificationis actu sumptus ut justificandus, non consideratur ut justus, sed ut peccator ac injustus.

LXXIII. Tertiō definitionem justificationis, quam ponit Becanus, nihil minus quā definitio, vix descriptio quædam est. Est enim latior suō definitō, & duntaxat quædam nominis interpretatio ; ut si quis *Tonitru* definiat, *quod sit sonus in nubibus*. Hec quidem verum est : sed non sufficit, nec reciprocum est : Non enim sonus in nubibus est statim tonitru : Oportet igitur accedat proxima causa : nempe *propter extinctum ignem*. Sic omnis quidem justificatio est transactio hominis à statu peccati in statum gratiæ ; sed non sufficit ad definitionem ejus absolvendam, neque reciproca est : Nam & nostra justificatio, quæ in remissione peccatorum, & justitiæ Christi imputatione consistit, est quædam translatio hominis à statu peccati in statum gratiæ : quam tamen justificationem negant Jesuitæ. Sic justificatio Jesuitica & Papana, quæ in infusâ habituali gratiâ sive justitiâ consistit, est quædam translatio hominis à statu peccati in statum gratiæ : quæ verō Apostolo Paulo & nobis, ipsius vestigia prementibus, non justificatio, sed sanctificatio est. Vitiosa ergo, & vera definitio justificationis non est.

LXXIV. Quod porrò attinet allegata dicta, & quidem primum illud ad *Coloss. 1. v. 13.* non loquitur tantum de gratiæ regnò, in hoc seculò, per fidem & sic justificationem inchoato, sed potissimum notat regnum gloriæ expectandum & manifestandum in alterò seculò. Nam agit non de partiali, sed totali actu translationis sive translationis in regnum Filii: quæ fit per verbum & Sacramenta fide apprehensa, perque justificationem, adoptionem, regenerationem, salvationem & vitæ æternæ realem & actualem acquisitionem. Quocirca nihil ad rem facit illud dictum.

LXXV. Alterium est *1. Petr. 2. v. 24.* Neq; hic locus in specie agit de justificatione: sed de effectis & fructibus, quos passio Christi in nobis facere ac ferre debeat, nempe ut passione ejus liberati à regnò Satanae, & ab omnibus peccatis per fidem, & sic imputatam simul & infusam justitiam sive regenerationem, porrò justitiæ ac pietati, novò homine quotidie & assidue inserviremus: sicut *Ephes. 2.* dicimur ad hoc ipsum à Christò conditi esse. Uti etiam hoc argumentum copiosè tractat Apostolus Paulus, *Roman. 6.* Aliud verò est loqui de fructibus passionis Christi: & in specie de justificatione, ut tali. Nam licet & justificatio sit fructus passionis Christi, non tamen est omnis fructus. Fructus ergo hi includunt quidem justificationem, sed non solam: siquidem & regeneratio, & renovatio, & sanctificatio, imò etiam vita & salus æterna sunt passionis Christi fructus. Illà igitur in voce *fructus & effectus* conjunguntur; sed non confunduntur: siquidem aliis locis scripturæ accuratè distinguuntur.

LXXVI. *Mori ergò peccato, & resurgere ad justitiam,* sunt partes propriè non justificationis, sed sanctificationis, quam agnoscimus partem nostræ restorationis necessariam: siquidem inchoatam justitiam complectitur: quæ etiam si multis partibus possit effici, ex omni tamen parte non nisi in resurrectione carnis, atque commutatione speranda est. *August. expositione in Epistolam ad Galatas.* In illis autem verbis, *cujus vobis sanati fuistis,* continetur justificatio: quando quidem ita
sana-

Tanati dicimur pluribus de causis : quia culpa pœnaq; nostra in ipsum translata est : quia etiam plagæ , passio & mors ipsius, nobis meruerunt iustitiam tum imputativam , tum infusam, & sic & justificationem, & regenerationem, & omninò liberationem à potentiâ Satanæ.

LXXVII. His subjungit Becanus §. 2. Partes justificationis , in quibus consistat, nempe *in duabus*, inquit : *Primò in remissione seu expulsionem peccati. Secundò in infusione seu acquisitione iustitiæ. Sicut calefactio, quâ quis ex frigidò fit calidus, continet duas partes, depulsionem frigoris, & acquisitionem caloris. Et in hoc differt à justificatione primorum parentum & Angelorum, quæ constabat solâ infusione gratiæ, non autem peccati remissione.*

LXXVIII. Utraque pars falsa est, & contra scripturam in cerebrò papanò nata. Primum enim inauditum est, & in Sacra Scripturâ, & in orthodoxâ Theologiâ : *Remissionem peccatorum & expulsionem peccatorum synonyma esse. Ut Synonyma quidem in scripturis usurpantur, remitti peccata, tecta habere peccata, non imputari peccata, fidem nobis imputari pro iustitiâ : DEUM imputare iustitiam absq; operibus, fide justificari hominem absq; operibus legis, Rom. 4. v. 7. 8. Beatus, quorum remisse sunt iniquitates, & quorum obiecta sunt peccata : Beatus vir, cui non imputet Dominus peccatum, Psalm. 32. v. 1. 2. Credidit Abraham DEO, & imputatum est ei pro iustitiâ, Rom. 4. v. 3. Qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua pro iustitiâ, ibidem, v. 5. Rom. 3. v. 28. Colligimus, fide justificari hominem, absq; operibus legis. Conferatur Gal. 2. v. 16. Gal. 3. v. 5. 6. Sanè hæc loca omnia negant realem illam infusionem.*

LXXIX. Aliàs allegare solet Jesuita scripturam, & vult videri se omnia quoque dogmata sua ex scriptura probare posse. Hic manifesta scripturæ loca adferre debuisset, & sic suam sententiam stabilire, demonstrareq; quod remittere peccata, sit expellere peccata. Quàm vellet, si posset. Sacra scriptura ejusmodi remissionem peccatorum ignorat, nullibi tradit,

tradit, sed contrarium inculcat, quod hic actus planè sine operibus, virtutibus & habitibus infusis perficiatur. Negatâ autem hac synonymiâ & hoc actu, nempe *expulsione peccatorum*; simul negatur alter actus, nempe *introducio virtutum habitualium*; quod per se est manifestum. Calcificationis exemplum nihil probat. Quandoquidem per ejusmodi alterationem realem & transmutationem, justificationem fieri est illud ipsum, quod cum Scripturâ negamus.

LXXX. Ut tandem hoc modo hæc justificatio non fit, sic eodem ab alterâ illâ, itidem à Becanô & Jesuitis effectâ, non distinguitur: cum non Entis non dentur operationes: Uti etiam infusa illa gratia Angelorum & hominum ante lapsum non Ens est. Justitia enim originalis hominibus ut & Angelis fuit concreata, non creata superinfusa, vel instar corollæ superaddita: quæ postea ab homine lapsô, salvis manentibus facultatibus ac viribus naturalibus tolli ac removeri poterit.

LXXXI. Concludit postremò Becanus hanc quæstionem formatò controversiæ statu, *nimirum nos à Pontificiis dissentire duplici modo: primò, quod velimus justificationem impii consistere in sola peccatorum remissione; non autem in acquisitione justitiæ, seu interiore renovatione per gratiam sanctificantem. Secundo, quod per remissionem peccatorum non intelligamus expulsionem eorum vel abolitionem: sed solam occultationem.*

LXXXII. Res plana est. Quod autem addit, nostram sententiam in præcedentibus esse refutatam, noli credere lector, sed nostras disputationes præcedentes evolve, & intelliges, Becanum ad nullum argumentum aliquid solidi respondisse, nedum refutasse: Sed nostram orthodoxam sententiam factam tectam relinquere coactum fuisse. Adhuc de secundâ quæstione.

LXXXIII. Sequitur tertia, quâ quærit Becanus: *quæ dispositiones requirantur ad primam justificationem.* Et respondet: *Calvinistæ docent, requiri solam fidem. Catholici fidem, timorem, spem, dilectionem, contritionem, propositum vitæ melioris & observationis*

E

tionis

tionis mandatorum Dei, Concil. Trid. sess. 6. cap. 6. Hoc probant (ad-
dit) ex Scripturis, Hebr. 11. v. 6. *sine fide impossibile est, pla-
cere Deo.* Eccles. 1. v. 28. *Qui sine timore est, non po-
test justificari.* Prov. 28. v. 15. *Qui sperat in Dominò,
sanabitur.* Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata mul-
ta, quoniam dilexit multum.* Matth. 4. v. 17. *Pœnitenti-
am agite.* Ezech. 18. v. 31. *Facite vobis cor novum &
Spiritus novum.* Idem docent sancti Patres. Et has virtu-
tes & actiones in sequentibus vocat Becanus *preparationes* §. 2.
item *dispositiones* §. 4.

LXXXIV. Respondemus, solam fidem ingredi actum
justificationis, hætenus multis, partim in hac, partim etiam in
præcedentibus nostris disputationibus demonstravimus; & ne
in minimo quidem hac oppositâ Papisticâ opinione infringitur.
Ex abundanti ita argumentamur in genere: Nullæ præparatio-
nes & dispositiones sequuntur id, ad quod præparant, & ad
quod disponunt: At quicquid boni est in homine, sive sit timor
Dei, sive spes, sive dilectio, &c. sequuntur justificationem: Er-
go nihil boni in homine, sive sit timor D E I, sive spes, sive dile-
ctio &c. præparat hominem ad justificationem. Major adeo
certa est, ut causæ præparatoriæ etiam priores sint quoad suam
ἐνεργειαν, quàm causæ principaliter agentes: Si ergo hæ sunt
priores effectò, ad quod fiebat præparatio: utiq; & istæ multò
magis priores erunt. Minorem ab Augustinò didicimus, bo-
na opera non præcedere justificandum, sed sequi justificatum,
de Spiritu & literâ cap. 27. tom. 3. mihi pag. 827. b. & alibi.

LXXXV. De singulis virtutibus in specie suprâ egimus
disputatione nostrâ 13. *de justif. th. 33. & seqq.* allegata igitur di-
cta tantùm examinanda sunt. Pro fide allegat dictum ad Hebr.
11. v. 6. sed non video, quomodo illud pro opinione Jesuitæ
confirmandâ faciat, conjungentis cum fide cæteras enumera-
tas virtutes: cum potius contrarium sequatur, nempe *solâ fide
nos placere Deo, & sic justificari.* Sic enim argumentor: Sine
quo

quò impossibile est aliquid in & à nobis esse fieri posse, quod placeat Deo, illud sola est causa, per quam & nos & omnia opera, in & à nobis profecta, placeamus: Atqui sine fide impossibile est aliquid in & à nobis esse, fieri posse, quod placeat Deo: Ergo fides est sola causa, per quam & nos, & omnia opera, in & à nobis profecta, placeamus Deo. Major est *autòms* ©. Minor est Apostoli.

LXXXVI. Porro; quod est Sola causa, per quam nos, & consequenter omnes virtutes in nobis, & opera à nobis profecta, Deo placeamus; illud quoq; est unica ac solâ causa nostræ justificationis coram Deo: Atqui fides est unica & sola causa, per quam nos, & consequenter omnes virtutes in nobis, & opera à nobis profecta, Deo placeamus: Ergo fides quoq; est unica ac solitaria causa nostræ justificationis. Major est certa. Nam per justificationem Deo placeamus primò. Quocirca quod est unica causa, ut Deo placeamus primò, id quoq; unica & solitaria causa est, ut justificemur: Minor præcedente syllogismò est probata.

LXXXVII. Quare sic porro concludimus: Quod est solitaria causa, per quam coram Deo justificamur; illud in eò genere ac modò causarum, omnes alias causas, excludit: At fides, ut demonstratum, est solitaria causa justificationis: Ergo omnes alias causas in eò genere ac modò hic à Becanò adductas, utpote, timorem Dei, spem, dilectionem, contritionem, planè excludit.

LXXXVIII. Rursus sic concludimus: Quibus unâ nobiscum conciliatur complacentia Dei tantùm per fidem justificantem, nempe nos justificando; illa non possunt esse concausæ fidei in actu justificationis nostræ: Atqui omnibus, quæ in nobis sunt, & à nobis fiunt, & sic omnibus virtutibus, justitiis ac bonis operibus nostris unâ nobiscum conciliatur complacentia sive beneplacitum Dei tantùm per fidem justificantem, nempe nos justificando: Ergo nulla, quæ à nobis sunt, & à nobis fiunt, & sic nullæ virtutes, justitiæ & bona opera nostra possunt esse concausæ in actu justificationis nostræ. Major est *autòms* ©. Minor est certa rursus vi dicti ad Hebræos II. v. 6.

Expressè enim dicitur, quod impossibile sit, ut sine fide quisquam Deo placeat, ita, ut ad eum accedere possit, h. e. ut coram Deo justus sit. Ergò à causalitate hac & nos ipsi, & omnia opera in nobis excluduntur. Quare oportet, si opera nostra Deo placere debeant, nos primò simus per fidem reconciliati Deo, & sic fide justificati: proindeque prius placeamus Deo, quàm opera. Hac verò, quia à justificatò proficiantur, & sic ex fide facta censeantur: cum aliàs coram Deo, *quicquid non est ex fide: peccatum est*, Rom. 14. v. 23.

LXXXIX. De timore adducitur *Eccles. 1. v. 28.* Respondimus ad hunc locum disp. nostrà 13. de justif. th. 35. Quod in originali Græco textu nihil quicquam habeatur de timore: ἡ δὲ θυμώδης ἀνὴρ δικαιοσύνης: *Non poterit iracundus vir justificari.* En de iracundò & vindictæ cupidò hîc agitur. Illum igitur, qui vindictæ cupiditate æstuat, justificari non posse, libenter concedimus. Nam enormia ejusmodi peccata cum fide justificante stare, & in eodem subjectò esse non possunt. Taceo, quod eò loci nihil agatur de modò, quò vero Deo reconciliemur, sive remissionem peccatorum obtineamus, sed quomodo justè vivamus.

XC. De spe adducitur dictum *Prov. 28. v. 25.* de quò etiam egimus supra disp. nostrà 15. th. 36. Nihil ibi in specie de justificatione agitur. Nam *sanare, ut & liberare & salvare*, universum salutis cursum usq; ad extremam mortem, quæ in gloriæ cœlestis fruitione est, continent: Ubi sanè justificatio primam tenet gradum & initium, à quò, quicquid est, progreditur, ac suam habet dependentiam. Quid ergo obstat, quicquid in homine justificationis est, ejus sanitatis salvationisve meritò dici præparationem. Non tamen ut sit justificationis. Nulla enim in homine justificationis præparatio: sed quia hic actus indivisibilis est: primum initium justificationis, non præparatio, sed ipsa justificatio est: quippe quæ non dignitate aut magnitudine fidei, sed perfectione absolutâ meriti & justitiæ Christi fide applicatæ æstimatur.

XCI. Pro dilectione adfertur dictum *Luc. 7. v. 47.* quod etiam prolixè excussimus disp. 13. th. 43. ostendimusque, dilectionem causam nullam esse remissionis peccatorum, sed necessarium duntaxat consequens: quò positio etiam antecedens ponatur: ut positio, aliquem loqui; sequitur necessario, eum esse hominem: Uti etiam hunc locum Hugo in glossa rectè exponit, scribens: *Quoniam tenetur ostensivè vel significative, non causativè: Intelligimus nempe, quod ostendat, ita sese rem habere, non causam rei indicet.* Quid? Quod à v. *Palma* statuunt Jesuitæ: quando communiter docent; charitatem esse ipsam formam, seu habitum inhaerentem justitiæ: Si hoc: Contradictoriè asserunt, charitatem dispositionem esse. Nam nulla dispositio est forma, & nulla forma est dispositio ad seipsam.

XCII. Pro pœnitentia adfertur locus *Matth. 4. v. 17.* Sed quæ consequentia: Christus hortatur, ut resipiscamus, sive pœnitentiam agamus: Ergò pœnitentia distincta à fide, cum ipsa autem juncta, est præparatio ad justificationem? Nulla est: & adeò nulla, ut ipsa per se ne bonum quidem propositum in homine excitare queat, nedum per se ad justificationem præparare. Cum ejusmodi motus non per legem, quæ iram operatur, sed per Evangelium, quod solùm gratiam offert, excitantur.

XCIII. Ultimum, nempe *propositum vitæ melioris & observatiæ legis*, probare conatur ex *Ezech. 18. v. 31.* Sed nihil probat. Neque enim agit ibi Propheta de justificatione, neque de præparatione, neque de solò proposito vitæ melioris: Non de justificatione: quippe quam nos nullò modò facimus; sed solus DEUS illam in nobis operatur; proindeque nullus unquam tam crasse de justificationem statuit, ut dixerit, ipsos fideles sibi remittere peccata: At Propheta hîc dicit: *Projicite à vobis, facite vobis: non projiciat DEUS à vobis, faciat DEUS in vobis.* De sanctificatione ergò agit Propheta, non de justificatione. Non de præparatione. Nam *projicere omnes iniquitates*, non videtur incipientium esse, cum impares omninò sint ipsi profectiores. De perfectione ergò

sermo est, ad quam justificati, quoad ejus in hac carnis infirmitate fieri potest, tendere debent. Non de *solò proposito vitæ melioris*. Qui enim *à se projicere conatur omnes iniquitates*, quibus prævaricatus est, & facit sibi cor novum, hoc est, depositò veteri homine, qui secundum cupiditates fallaces corrumpitur: renovatur spiritu mentis suæ, & induit hominem planè novum, qui secundum DEUM conditus est in justitiâ & sanctimonia veritatis, ut nihil sapiat corde, nihil speret aut velit spiritu, nisi novitatem puram, (quæ sanè verborum Prophetæ vis & emphasis est) ille non primùm proponit sibi vitam novam instituere, sed jam actu vitam novam vivit. Inconvenientissimè igitur & ineptissimè hoc dictum est allegatum.

XCIV. Patrum quia nullum in specie allegat, etiam nihil in specie respondemus. Sint, qui videantur phrasibus nonnullis accedere ad partes Pontificiorum; non tamen inde statim sequitur, ergò eundem cum Pontificiis errant errorem. Quandoquidem antea de Augustinò diximus, quod nonnullis locis verbò *justificare, & justificationis* paulò aliter & latius utatur, quàm Paulus Apostolus agens de justificatione hominis coram DEO: Interim justificationem strictè sic dictam, hoc est, remissionem peccatorum, esse eorundem expulsionem, & justificationem secundam fieri meritis bonorum operum, id nunquam ex Augustinò probabunt: quippe qui constanter docet, bona opera non præcedere, sed sequi justificationem. Et si vel maximè aliquis Patrum hunc olim errorem errasset; nos illum propterea non sequi, sed potius vitare, & ex scripturâ corrigere teneremur. Non enim Patrum sententiis, sed Spiritus Sancti verbis in scripturâ contentis nititur nostra fides.

XCIV. Progreditur Becanus seorsim agere de enumeratis virtutibus, & quidem primùm de *fide*: Atque de hac duo tradit: Primùm quod inter præparationes illas primùm teneat locum, ac qualis à Pontificiis intelligatur.

XCVI. Primum ergo facit §. 2. his verbis: *Inter has dispositiones primum locum tenet fides, quæ est fundamentum & radix totius salutis & justificationis, ut loquitur Concil. Trid. Sess. 6. c. 8. Et*

Et colligitur ex illò Hebr. 11. v. 6. *Accedentem ad DEUM oportet credere.* Unde August. lib. de predest. *Sanctorum cap. 7. Fides prima datur, ex quâ cœtera impetrantur.* Et serm. 22. de verbis Apostoli: *Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Eodem sensu Cyril. Hierosolymitanus catechesi 1. dicit, *fidem esse quasi oculum & lampadem ad viam salutis inveniendam: Et Eusebius Emis. hom. 2. de symbolò, esse lumen animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis.* Et Chrysof. hom. de fide, spe & charitate, *esse originem justitiæ.*

XCVII. Primum negamus, Fidem esse præparationem aut dispositionem ad justificationem sive justitiam. Nam præparare & disponere ad justificationem, non est justificare: At de fide nullibi in scripturâ dicitur, quod eâ homo disponatur vel præparetur ad justificationem: Sed quod justificetur fide: ex fide, per fidem, Rom. 3. v. 22. 25. 26. 27. Gal. 2. v. 16. cap. 3. v. 5. & c. Item quod fides imputetur pro justitiâ, Rom. 4. v. 3. 5. & c. Quæ sanè de nudâ præparatione sive dispositione ad justitiam sive justificationem dici nequeunt, sed de ipsâ justificatione necessario intelligenda sunt. Taceo, quod fides non ut virtus aut qualitas ingrediatur justificationem, proindeque nec dispositivè, nec effectivè, nec perfectivè ad eam constituendam agat: Id enim totum merito & justitiæ Christi imputatæ est tribuendum. Videatur disputat. nostra 13. de Justificat. thes. 7. & seqq.

XCIX. Deinde libenter concedimus, fidem ut justificantem esse fundamentum & radicem nostræ salutis & justificationis, nec opus est, ut id nobis proberetur. Sed annon contradictio sit, fidem esse tantum dispositionem sive præparationem ad justitiam, sive justificationem; & sit nihilominus fundamentum ac radix justificationis, id perpendendum. Fundamentum non est vel præparatio vel dispositio. Nam præparatio præcedit fundamentum, ut & dispositio. Ut enim disponitur aliquid ad recipiendam rem, sic quoque disponitur ad recipiendum fundamentum & radicem rei. Si ergo fides est fundamentum & radix justificationis: Utiq̄ue non est vel præparatio
ratio.

ratio vel dispositio ad illam capeffendam. Quid? quod fundamentum sive radix Justificationis sit ipsa justificatio. Nam ut non recipit magis & minus, ut probavimus; sic neque majus & minus. Quandoquidem hic majus & minus est ipsum magis & minus, & contrâ: Quare fundamentum est ipsum ædificium: Et radix est ipsa arbor. Sed cautè diximus, *fidem ut justificantem*, esse fundamentum & radicem nostræ justificationis: Id enim fidei tribuitur, ut *justificare*; quod aliàs verè, propriissimè & ἐνεργητικῶς soli merito & justitiæ Christi est tribuendum.

XCIX. Secundum, nempe *qualem fidem intellectam vellent*, explicat Becanus §. 3. his verbis: *Hac autem fides non est illa specialis, quam fingunt adversarii, quâ quisq; credat, se justum esse, sed est fides Catholica, quâ credimus, vera esse, quæcunq; à DEO revelata sunt.* (Concil. Trident. Sess. 6. cap. 6.) Inter cætera hæc duo sunt revelata. Alterum, quod DEUS sit justus, & severus in vindicandis & puniendis peccatis. Alterum, quod in iisdem remittendis sit etiam benignus & misericors; eoque sine miserie Filium suum unigenitum, Christum Salvatorem, ut suâ morte à peccatis nos liberaret, & in sortem Filiorum DEI assereret. Ex fide prioris Articuli oritur Timor divini judicii, & pœnarum infernalium, quò animus peccatoris utiliter conoutitur, & ad emendationem excitatur. Ex fide posterioris, nascitur Spes divina misericordie, & remissionis peccatorum per merita Christi Redemptoris. Ex hac spe consequitur amor erga DEUM, qui tam misericors & benignus est, & simul odium seu detestatio peccati, quod nos à tam benignò DEO avertit: Cui annexum est propositum vitæ melioris, & observationis mandatorum DEI. His positus, immediatè sequitur justificatio, id est, infusio gratie sanctificantis, & remissio peccatorum.

C. Primum exponendum est, quid per fidem illam universalem & Catholicam intelligat Becanus cum suis sociis, quandoquidem obscure & ambiguè hic loquitur. Hæc ergo ejus mens est, fidem neque notitiam esse, neque fiduciam, sed simplicem assensum. Bellarminus enim (cujus Becanus abbreviator est.) cap. 7. lib. 1. de Justific. contendit, *Fidem non esse*

esse notitiam, sed simplicem assensum, & credere nihil esse aliud, quam assentiri doctrinæ Ecclesiæ, etiamsi ignores, qualis sit. Quando vero postea contra nos Jesuitæ negant, fidem salvificam esse fiduciam certam ac indubitatam misericordiæ divinæ, propter Christum promissæ, sibi contradicunt, definiendo fidem per generalem fidei historicæ notitiam & assensionem. Et scribere non exhorrescunt, fidem communem esse posse piis cum impiis & sceleratis, ut legere est in censurâ Colonienfium pag. 92. & 111. Et apud Jesuitam Hieronymum Torrensem lib. 2. Confess. Aug. c. 5. Et Bellarminus lib. 1. de justificatione, cap. 10. & Becanus tract. 4. de justif. cap. 2. quæst. 7. §. 2. contendunt, fiduciam illam specialem in verbis Dei non contineri, proindeque non posse quempiam credere, nisi omninò temerè, sibi remissa esse peccata. Atque hæc postmodum causa est, ob quam Romanenses communiter omnes, Fiduciam, quam nos tanquam animam & formam fidei justificantis agnoscimus, ac necessariò requirimus, carnalem presumptionem nominant, & planè explodunt; contra vero dubitationem de gratiâ DEI, de remissione peccatorum, & de salute æternâ, commendant & propugnant.

CI. Verum enim verò atrocior hic est error quàm verbis satis exaggerari possit: quandoquidem ejusmodi fides non tam ad justitiam, quàm ad desperationem disponit. Sed longè aliter de ea statuit, ac nos docet scriptura. Sic enim Paulus ad Ephes. 3. v. 12. *Habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius*: sive ut est apud veterem interpretem: *Habemus fiduciam & accessum in confidentiâ per fidem ejus.* 1. Joh. 3. v. 21. *Si cor nostrum nos non condemnat, fiduciam habemus apud Deum.* Ad Hebr. 3. v. 6. *Cujus domus sumus nos, si fiduciam & spem illam, de qua gloriamur, ad finem usq; firmam retinuerimus.* Ibidem cap. 4. v. 16. *Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam, & gratiam inveniamus ad opportunum auxilium.* Ibidem cap. 6. v. 11. *Cupimus, ut unus quisq; vestrum idem ostendat studium, ως τὴν ὀληγοροσίαν τῆς ἐλπίδος* (ad explicationem spei (ut reddidit vetus interpres) sive potius, ad plenam spei persuasionem, ad
F finem

finem usq;, ut Becanus vertit, sive *ad plenam spei certitudinem usq;*
ad perfectionem, ut Erasmus. Lutherus. Wir begehren aber / das
ewer jeglicher denselbigen Fleiß beweise / die Hoffnung fest zubehal-
ten / bis ans Ende. Hebr. cap. 10. v. 22. *Accedamus cum vero corde,*
Et certâ persuasione fidei : Et ver. 35. *Ne abjicite παρρησίαν ve-*
stram.

CII. Ubi benè notentur 1. nomina, quibus fides salvi-
fica circumscribitur, utpote *παρρησία*, *libertas*, *confidentia*, ut ha-
bet vetus versio, Hebr. 10. v. 35. *πεπιθισις*, *fiducia*, *ωληροφροεια*,
persuasio, *plena certioratio*, *υπόστασις rerum sperandarum*, Hebr. II.
v. 1. Unde sic argumentamur : Quæ fides est certa fiducia, per-
suasio, confidentia, quâ in promissione gratiæ confidenter ac-
quiescitur : illius actus non est nudus ac generalis assensus, sed
etiam immota certaq; fiducia ac confidentia specialis in id,
quod creditur ; Atqui fides salvifica est certa fiducia, persuasio,
confidentia, quâ in promissione gratiæ confidenter acquiesci-
tur : Ergo fidei salvificæ actus non est nudus ac generalis assensus,
sed etiam immota certaq; fiducia & confidentia specialis in id,
quod creditur.

CIII. Deinde notetur, quod dicatur *υπόστασις rerum*
sperandarum : Item *fiducia spei* : Sic ergo argumentando pergi-
mus 1. Quæ fides est ipsa rerum sperandarum hypostasis & fi-
ducia spei, illa efficit, ut quisq; verè fidelis certus sit in indivi-
duò obtinendæ salutis : At fides vera & salvifica, est ipsa rerum
sperandarum hypostasis & fiducia spei : Ergo fides vera & salvi-
fica efficit, ut quisq; verè fidelis certus sit in individuò obtinen-
dæ salutis. 2. Quæ fides est hypostasis suâ naturâ rerum speran-
darum, illa, ubi est, ibi est fiducia certa : At fides vera est
υπόστασις suâ naturâ rerum sperandarum : Ergo fides vera ubi
est, ibi est fiducia certa : At est in singulis individuis : Ergo in
singulis individuis est fiducia certa. 3. Ex hoc quoque locò
intelligitur, quod fides non esse possit sine spe : proindeque non
possit sejungi à spe. Quare etiam Rom. 4. v. 18. dicitur, *Abra-*
ham. εἰς ἐλπίδι πισεύσας, *sub spe credidisse*. Et Galat. 3. *Nos ex fide*
spem justitiæ expectamus. Si ergo fides non est sine spe : & spes om-
nem,

omnem suam virtutem habet à fide, sequitur: Quia spes non est sine applicatione, quod neq; fides sit sine applicatione.

CIV. Sic enim argumentamur: Quam applicationem habet spes, eandem etiam habet fides: Ratio, quia illam habet virtute fidei: quippe inde totam suam certitudinem & perfectionem. Nam quod quis certò credit futurum; id quoque certò sperat. Quod verò non credit, non sperat: Et rursus, ut credit, ita sperat: Et ut non credit, ita non sperat: quod ergo certò sperat, à fide habet. Nam omnem fiduciam, quam habet fides à seipsâ, illam habet spes à fide, Eph. 3. v. 12. *In quò habemus libertatem & aditum cum fiducia per fidem ipsius.* Verba sunt diserta, nec facile torquenda, *aditum cum fiducia haberi per fidem*: Imò fides opponitur timori & diffidentia, Jac. 1. v. 6. *Postulet cum fide, nihil desperans.* Matth. 8. v. 26. *Quid timidi estis, o exigua fide præditi.* Et cap. 14. v. 31. *o exigua fide prædite, quid dubitasti?* Deniq; pro fiducia imputatur, Act. 14. Dicitur enim, impotens ille pedibus in Petrum oculos intendisse, & fidem habuisse, se servatum iri. Unde satis clarum ac perspicuum est, fiduciam esse fidei propriam, non spei: huic tamen communicari ab illâ. Certa igitur est posita major: Quam applicationem habet spes, eandem etiam habet fides: Atqui spes habet ejusmodi applicationem specialem, ut sibi persuadeat, non tantum futuram aliquam aliquando vitam æternam, quâ fruatur aliquis, sed etiam in specie se ejus futuræ vitæ futurum compotem: Ergo & fides habet ejusmodi applicationem specialem. Nam si quis credit ejusmodi vitam futuram, sperat quoq; ipsam vi rationis ad majorem adductæ: Ergo oportet hunc eundem ipsum sibi persuadere, hujus se fore compotem.

CV. Quod si ita est, ut aliter esse nequit, tunc quoque fidem necessariò comitatur particularis applicatio. Nisi forsitan negare quis vellet, spem cum particulari applicatione junctam esse. Verùm is, si quis fuerit, sciat, se eadem operâ negare, Solem in meridie lucere. Non enim aliter spem Christianam describit ipsa sacra Scriptura, 1. Johan. 3. v. 3. *Scimus, fore, ut cum ipse patefactus fuerit, similes ei simus: quoniam videbimus eum*

eum sicut est. Et quisquis habet hanc spem in eo, purificat se. Ubi
audamus, spem appellari illud ipsum, scire non alios, nescio
quos, sed nos similes futuros Christo. Sic ad Tit. i. v. 7. Ut ju-
stificati ipsius gratia heredes efficiamur, juxta spem vite eterne. At
Paulus ad Col. i. v. 5. vocat ἐλπίδα τὴν ἀποκεκρυμένην ὑμῶν ἐν τοῖς ἁ-
γανοῖς, spem sepositam vobis in caelis.

CVI. Tertiò notetur, quod fides hæc singulorum esse
doceatur. Probo: Qui de fidei certâ ac immotâ fiduciâ ita lo-
quitur, eamque hominibus tribuit, ut seipsum includat, is lo-
quitur de fiduciâ speciali, eamque singulis veram fidem secum
habentibus tribuit: Atqui Apostolus locis allegatis de fidei cer-
tâ & immota fiducia ita loquitur, & eam hominibus tribuit,
ut seipsum includat: Ergo Apostolus locis allegatis loquitur de
fiducia speciali, eamque singulis, veram fidem secum habenti-
bus tribuit. Major est per se certa. Minor probatur. Nam
horum verborum, *habemus, retinemus, accedamus*, vis est: Ego
habeo, retineo, accedam, & singuli mecum fideles. 2. Qui
fidelibus expressè particulâ distributivâ *ἑκάστῳ* tribuit; ille neque de generali loquitur, neque fiducia
ideâ eam generali alicui ideæ fidelium attribuit; Sed ut de e-
jusmodi fiducia agit, quæ singulorum est individuorum; sic
etiam illam distributivè singulis tribuit: Atqui Epistola ad He-
bræos fidelibus expressè particulâ distributiva (*unusquisque, ve-*
strum) *ἑκάστῳ* tribuit: Ergo Epistola ad He-
bræos neque de generali fiducia idea loquitur, neque eam gene-
rali alicui ideæ fidelium attribuit; sed ut de ejusmodi fiducia
agit, quæ singulorum est individuorum, sic etiam illam distri-
butivè singulis tribuit.

CVII. Quartò notetur vox *παρρησίας*, quâ aut signifi-
catur, fideles singulos certos esse, se pro justis haberi apud
DEUM per & propter Mediatorem; aut eâ significatur impio-
rum & furiosorum impudentia, temeritas, aut aliquid despe-
rantius, quò in extremum præcipitentur exitium: At poste-
rius est absurdum: Ergò prius est verum. Distributiva ma-
joris certa est; quia non datur tertium. Et quomodo potest
quis-

quisque sese sentire peccatorem, & audere ad DEUM accedere, non certus, sibi esse condonata peccata? Sanè id nemo sanè potest mente. Nam ab illò non potest DEUS non cogitari vindex peccatorum admissorum & non condemnatorum. Minor probatur: Nam de ejusmodi audacià nequaquam loquitur Spiritus Sanctus: Et nunquam latro confidenter accedet ad suum judicem: Ergò significet necesse est, ejusmodi liberalitatem, quæ fundatur in certâ, firmâ ac immutabili scientia, confidentiâ, & affectu certò, statuente, Christum pro se mortuum esse, & propter illud se pro justò haberi apud DEUM. Sic affectum suum expressit Job. c. 19. v. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in novissimò die de terrâ resurrecturus sum: Et carne meâ videbo DEUM meum, quem ego visurus sum mihi, & oculi mei conspècturi sunt, & non alienus.* Non dicit Redemptor simpliciter, sed *eu Qalixòs Redemptor meus.* Videbo non simpliciter DEUM, sed MEUM. Et ego visurus sum MIHI, & oculi MEI conspècturi sunt, non ALIENI.

CIIIX. Falsa est ergo opinio Jesuitarum, per fidem intelligendam esse generalem notitiam, quâ quis credit, vera esse, quæcunq; à DEO revelata sunt. Hæc enim, inquam, est historica fides, quæ etiam in impios, imò ipsos Diabolos cadit. Contra certissima est nostra fides de verâ fide, quod sit, quâ quis credit, sibi remissa esse peccata propter Christum, & propter ejus meritum justum haberi in conspectu & judiciò DEI.

CIX. Tandem & hoc notandum est, quod indicetur dictis allegatis, fiduciam illam non differendam esse usq; ad extremum articulum, aut ipsam fruitionem, sed retinendam esse ad finem usq;: imò nec expectandam peculiarem quandam sive extraordinariam revelationem: quippe quæ sub exhortatione cadere non posset. Ergò si adhortamur ad fiduciam illam in Sacris literis, tanquã Donum DEI, in hac vitâ ordinariè à DEO impetrandum: Si studium ad illud obtinendum, non est differendum; sed operanda, ut possideamus, & usque ad finem retineamus; illam utiq; fiduciam habere possumus, eamq; DEUS nobis per

F ;

Spiri-

Spiritum Sanctum largiturus est, & illò ipsò tanquam arrhabo-
ne in nobis obsignabit & confirmabit.

CX. Porro quod attinet duo illa revelata fide creden-
da 1. quod Deus, *justus & severus iudex in vindicandis ac puni-
endis peccatis.* 2. Quod in iisdem remittendis sit *benignus & mise-
ricors,* & quæ sequuntur: Respondemus, confundere rursus
Becanum suò more fidem *Generalem & Specialem,* vel quod eo-
dem modò recidit, *Fidem Historicam & justificantem.* Quæ
verò non confundenda, sed omninò distinguenda sunt. Quip-
pe distinguuntur partim subiecto, partim objecto. Subiecto
quidem. Nam fides generalis sive historica omnibus ex æquò
Christianis est communis, Tit. i. v. 4. *Filio suo dilecto secun-
dum communem fidem.* Justificans verò paucorum est pro-
pria. 2. Thess. 3: v. 2. *Fides non est omnium,* Objecto. *Commu-
nis* enim & historica fides circa omne verbum DEI versatur,
tam legis, quàm Evangelii: *Specialis* verò & justificans tantum
respicit ad promissiones Evangelii proprias.

CXI. Quæ cum ita sint, & hic non agatur de commu-
ni sive historicâ fide; sed speciali & justificante; utique liqui-
dum est, priorem Articulum, nempe *DEUM esse justum & seve-
rum iudicem in vindicandis & puniendis peccatis,* non pertinere ad
fidem justificantem sive specialem; sed generalem. Quan-
doquidem non demum per Evangelium hoc revelatum est, sed
statim ut pars legis in primâ hominis creatione ipsi implanta-
tum, & postmodum in legis promulgatione repetitum.

CXII. Quid de hujus consequente, nempe *Timore,*
statuendum sit, per se liquet. Est autem *Timor* duplex: *Servi-
lis & filialis* sive ingenuus: *Servilis* is est, quem hic describit
Becanus, quod sit *timor divini iudicii & poenarum infernalium.*
Atqui hic *Timor,* quia sine fide est, tantum abest, ut ex fide o-
riatur, ut etiam illam præcedere queat: Et cum incredulitate
ferè semper jungitur. Falsum ergò est, quod hoc *timore per
se animus utiliter concutiatur, & ad emendationem excitetur:* po-
tius per se à DEO ad desperationem abducit, quàm ad conver-
sionem & DEUM sive verum, hoc est, filialem DEI timorem
addu-

adducit. Quandoquidem is est, qui fide vel planè expellitur, vel in filialem transformatur: qui *filialis timor*, (vide supra disput. 13. thes. 34.) ejusmodi timor est, qui *DEUM* judicem ita timet, ut tamen Patrem per Christum conciliatum meminerit, nec ejus benignitate abutitur, sed majestate in officio continetur. Ut autem ille timor servilis nihil attinet ad justificationem, sic hic filialis non est ejus præparatio, sed consequens. Præsupponit enim *ὑποθεσίαν*, quæ non est, nisi per justificationem.

CXIII. Ex posteriore articulò fidei, quem revera ad fidem pertinere fatemur, derivat primùm *Spem*. Ubi verò licet concedere possimus, quod fides sit spe prior, ac velut mater ejus: tamen ut *ἀθεόλογον* rejicimus, spem esse propriè misericordiæ ac remissionis peccatorum per merita Christi redemptoris. Nam si hoc: concedendum utique, justificationem à DEO sperari: cum DEI misericordia & remissio peccatorum nihil sit aliud, quàm justificatio. Justificationem verò sperari à DEO, absurdum est. Nam sperantur futura: At justificatio & remissio peccatorum, & sic ipsa DEI misericordia hinc non in futuris. Quocirca Christus dixit, & Matthæus scripsit in præteritò: *Confide, fili, remissa sunt tibi peccata.*

CXII. Qui autem remissa in hac vitâ habet peccata, & sic Dei misericordiam est consecutus, ille habet spem certissimam vitæ æternæ. Hinc Paulus Rom. 8. v. 24. *Spes si cernitur, non est spes*, hoc est, præsens bonum habetur, non speratur. Si ergo justificatio non speratur: neque spe ad justificationem præparatur. Deinde spes illa futurorum bonorum præsupponit notitiam Dei propitii. Nam sperare ab aliò beneficium nemo potest, nisi prius sciat, & posse conferre & velle. Ab eò enim, qui non possit, aut qui nolit, quis aliquid speret? scire autem, Deum velle & posse sua bona conferre, non spei, sed fidei est: Et, ut sciamus, Deum velle sua bona in nos conferre, supponendus est nobis reconciliatus. Ab iratò namq; DEO nemo sibi quid sperabit. Non autem nisi per justificationem conciliatur Deus. Ergo antequam speremus, oportet justificari. Non ergo spes potest esse præparatio justificationis: sed potius justificatio est præparatio spei.

113. Idem

CXV. Idem est statuendum de amore. Nam si antequam amemus, oportet sperare, & antequam speremus, justificari: utiq; oportet justificari, antequam amemus: proindeque amor rursus nequaquam esse potest præparatio justificationis, sed justificatio præparatio amoris. Et sanè si quis amare eum, à quò beneficium expectat: Ergò multò magis amat eum, à quò beneficium accepit, & adhuc quotidie accipit. Illud est spei, hoc fidei.

CXVI. Sic odium & detestatio peccati, & propositum vite melioris & observationis mandatorum DEI, quomodo possunt esse præparationes justificationis, cum ejus sint consequentia? Quod enim est causa amoris DEI, illud quoque est causa odii ac detestationis peccati, itemq; propositi vite melioris: At justificatio est causa amoris DEI, ut demonstratum: Ergò est quoque causa odii & detestationis peccati, nec non propositi ad vitam meliorem &c.

CXVII. His ita demonstratis & evictis, per se corrumpitur Becani conclusio: Quandoquidem nullò modo illas virtutes sequitur justificatio; sed potius illæ sequuntur justificationem, ut patet.

CXVIII. Conatur nihilominus suam Jesuita sententiam probare ex Sacra Scriptura, §. 4. sic scribens: *Quod autem he dispositiones reipsa conferant ad justificationem & remissionem peccatorum, aperte constat ex Scripturis, Roman. 3. vers. 28. Arbitramur justificari hominem per fidem, Eccl. 1. 27. Timor Domini expellit peccatum, Rom 8. v. 4. Spe salvi facti sumus, Luc. 7. v. 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ezech. 18. v. 21. Si impius egerit poenitentiam, & custodierit omnia præcepta mea, vita vivet, & non morietur.*

CXIX. Ergo quod fide disponamur ad justificationem, conatur probare ex Rom. 3. v. 28. Sed ineptissime. Hominem
justi-

justificari fide, non ad justificationem præparari, dicit ac docet
Apostolus.

CXX. Timore disponi ad justificationem, demonstra-
re satagit dicto *Ecclesiastici cap. 1. v. 27.* Sed ad illud respondimus
disp. 15. hb. 42. Breviter; Aut loquitur Ecclesiasticus de Timore
servili & coactio: vel de filiali & ingenuo: Non de illò: quip-
pe qui non expellit, sed auget peccatum: Deum enim & odit
& fugit: cum quò pulcrè istud Latinum: *oderunt quem metuunt.*
Et differit de illò Johan. *Epist. 1. cap. 4. v. 18.* docetq; , quod cum
charitate stare non possit: Ergo multò minus cum fide justifi-
cante. Si de Timore filiali: diximus, quod is non præcedit,
sed sequitur fidem: diciq; potest expellere peccata: non autem
præterita: Hæc enim per justificationem, non quidem expellun-
tur, sed teguntur; futura igitur quatenus per mutationem vitæ
deseruntur. Et hæc est mens Ecclesiastici: qui dicit *ἀπωθεῖται*
id est, expellit, depellit. Sed negamus, quod ita purgat vel ex-
pellit peccata, ut justificatio: cum ad novitatem vitæ perti-
neat, & justificationis consequens sit.

CXXI. Spe disponi ad justificationem, probare vult
dicto *Rom. 8. v. 24.* Sanè frustra & præter rem hoc dictum addu-
citur. Spei enim verbum duobus in Scripturis sumitur potissi-
mum modis. Interdum, & præcipuè in Psalmis, usurpatur pro
ipsâ fide: Et idem est, quod firma fiducia, in Deo recumbente.
Interdum fidei *ἀντιδινημένως* opponitur, & idem est, quod vir-
tus, quâ bona futura certò & patienter à Deo expectamus. Pau-
lus locò allegatò agit de spe, ut in posteriore significatione acci-
pitur, & à fide distinguitur, atq; , ut patet, non est rerum præsen-
tium, sed futurarum, uti etiam expressè Paulus spem definit.
At illa spes non justificat: sed justificatum præsupponit. Siqui-
dem quando homo justificatus est, sperat id, ad quod justifica-
tus est, nempe liberationem, vitam & gloriam certò securam.
Quâ spe soli fideles, & verâ fide justificati, omnes hujus vitæ
tentationes, afflictiones & miseras vincunt. Fide enim credunt,
se propter Christum esse Deo reconciliatos, accepisse jus *υιοθε-
σίας τῶ θεῷ, Job. 1. p. 12.* hæc q; hæredes Dei, & cohæredes Christi.

G

Hoc

Hoc ergo quia credunt, statim exurgit spes, quâ certò sperant & expectant vitam ac beatitudinem æternam, non tantùm, quod futura sit, sed quod & ipsi illam sint possessuri. Spe illâ animati (ut diximus) in omnibus periculis & hujus vitæ ærumnis & calamitatibus servantur, nec franguntur animis, sed militant bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam. Atque hoc est, quod Paulus dicit, *spe servati sumus*. Hæc enim spes, nisi nos foveret & servaret: miserimi omnium essemus in universò mundò.

CXXII. Ad illud *Luc. 7. v. 47.* quo dilectionem rursus probare satagit Jesuita, jam *th. 91.* ut & supra *diff. 13. th. 43. & seqq.* sufficienter respondimus, nec est, cur actum agamus. Quid? quod de dilectione sive charitate *ἀσκήσις* planè & nulpiam coherentia stantur Jesuitæ. Volunt enim, charitatem esse formam & habitum inhærentem justitiæ. Quomodo ergo verum erit, quod sit dispositio præparatoria? Uti etiam minimè sibi constant, modò contendentes & reliquos actus, ut timorem, spem, pœnitentiam, &c. esse actus præparatorios ad recipiendam demum justificationem: modò illis ipsis causam & meritum justificationis nostræ adscribentes.

CXXIII. Dictum *Ezechielis 18. v. 21.* de pœnitentiâ agere, certum est; sed quæritur, quid Becanus cum Papistis, & quid Scriptura *pœnitentiam*, hoc & similibus locis, h. e. *veram pœnitentiam* dicat. Becanus, Bellarminus, & cæteri Papistæ pœnitentiam non aptè definiunt per *solum dolorem & detestationem peccati*. In Scriptura enim semper significat præterea *mutationem in melius*. Quæ verò sine fidè esse nequit, & sic sine præcedente justificatione. Deinde non sine causâ quæritur, quæ sit consequentia: Si impius egerit pœnitentiam, & custodierit omnia præcepta Jehovæ, vitâ vivet, & non morietur: Ergo pœnitentia est præparatio ad justificationem: cur non potius, ad vitam sempiternam: quæ hîc intelligitur. Vita autem æterna estne ipsa justificatio? Non sanè. Nam hæc præsens & hujus vitæ est propria: illa est futura & sequuturæ vitæ. De quâ verè dicitur, quod per angustiam portam in ipsam introeamus:

mus : Unde via hæc sine virtutibus sanctis & vitæ novitate calcari nequit. Vita igitur sancta illa in hac vita debet studio sanctitatis inchoari; si debet in altera vita perfici. Inde autem non sequitur : justificationem ejusmodi virtutibus inchoari & præparari debere : Non sequitur, Pœnitentiam esse præparationem justificationis; pœnitentiam justificare. Ut enim hæc falsissima sunt : sic, inquam, ex positò antecedente nequaquam inferuntur.

CXXIV. Becanus porrò §. 5. reddit rationem, ob quam virtutes enumeratæ dispositivè conferant ad justificationem & remissionem peccatorum : *Nec mirum, inquit : Non enim sunt actiones merè naturales, quæ solis nostris viribus efficiantur (sic enim nullam vim haberent ad justificandum) sed supernaturales, quæ ab homine elici non possunt sine gratiâ Dei excitante & adjuvante, Joan. 6. 44. Nemo potest venire ad me, nisi pater meus traxerit eum. Et cap. 15, 5, sine me nihil potestis facere. 2. Cor. 3, 5. Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est. Vide Augustin. lib. de prædest, Sanctor. & Concil. Trid. sess. 6. c. 5.*

CXXV. Respondemus, nos libenter concedere opera, quæ solis nostris viribus efficiuntur, nullam vim habere ad justificandum. 1. Quia sunt sine fide. 2. Quia non sunt bona, sed mala opera : idq; ob rationem priorem : quia fide carent. At opera sine fide non bona esse, necesse est. Id ut manifestis Scripturæ textibus à nobis antea est probatum : Sic quoque idem demonstrat ipsa legis natura : quippe quæ fidem quoque imperat, quod neque Becanus, neque Bellarminus negabunt : Cum fides sit virtus primi præcepti. Unde firmiter infertur; Nulla opera legis bona constare sine fide : quandoquidem nulla sine charitate; nulla sine castitate; nulla sine temperantiâ. Ratio; quia ex lege, qui peccat in uno, fit reus omnium. Atqui verò revera in uno peccat, qui non credit in DEUM : quippe hoc unum est, quod lex imperat. Quocirca qui ex lege operatur, illum oportet credere, aut non benè operari. Non itaq; tam operosa opus fuisset probatione, ubi res plana est. Quare concedimus

rursus, quatenus enumeratæ virtutes ex fide sunt, & homo per illas operatur, quod id faciat adjutus Spiritu sancto: à quo tantum fides infunditur, ideoque omnia nostra opera sanctificantur, proindeq; bona sunt. Sed hoc quando concedimus, rursus nobis concedant Becanus, Bellarminus, & cæteri Jesuitæ omnes, quod Apostolus Paulus agens de justificatione non in eò laboret, ut excludat mala opera à justificatione: (quis enim id postulasset?) sed bona: Ergo etiam ea, quæ cum fide, ac proinde post fidem.

CXXVI. Sed ut totum nervum argumenti Becani incidamus, putat, *actiones dictas in sese habere vim disponendi ad justificationem, & sic justificandi: quod actiones illæ non sint merè naturales, quæ solis nostris viribus efficiuntur: sed supernaturales, quæ ab homine elici non possunt sine gratiâ Dei excitante & adjuvante.* Ergo concedit, quod ex parte sint naturales, & quod viribus nostris peragantur, sed non solis: sed oporteat, ut illæ excitentur & adjuventur à superiore virtute, nempe Spiritu sancto. Quare certa & concedenda sunt, si intelligantur de operibus justificatorum, non autem justificandorum. Nam ejusmodi actiones à Spiritu sancto in nobis excitatæ sequuntur justificationem, non præcedunt. Sed transeant hæc.

CXXVII. Quæritur, *an illæ actiones justificare possint, quia excitantur & adjuvantur à virtute supernaturali, nempe Spiritu sancto.* Negamus nos. Nam potentia naturales, quas movet, excitat, adjuvat, & à quibus actiones bonas elicit Spiritus sanctus sunt intellectus & voluntas. Illum excitat & adjuvat illustrando: At illustratur imperfectè in hac vitâ: nempe in quâ cognoscimus tantum ex parte, videmusq; in imagine, in speculò & obscurò verbò, in alterâ demum vita perfectè, de facie ad faciem. Voluntas deinde excitatur quidem & ipsa adjuvatur, sed non perficitur. Et quod ad vires spectat, disertè Christus: *Spiritus promptus est, sed caro infirma est*, Matth. 26. v. 41. Paulus etiam ad Rom. 7. v. 18. *Velle adest mihi, sed ut, quod bonum est, perficiam, non assequor.* Quare in homine justò recta & perfecta operatio non est.

CXXVIII. Neq; adhuc obstat, quod sint opera Dei a Spiritu sancto excitata. Sunt enim opera Dei duplicia: Immediata & mediata. Immediata quidem simpliciter in suo genere sunt perfecta, adeo ut in illis nihil emendari possit. Id vero de mediatis sine exceptione dici, nequit. Movet enim Deus instrumenta sua plerumq; ut sunt, & secundum ipsorum captum ac modum. Sic Adam & Cain fuit opus Dei: sed ille creatus perfectus, quia immediatè à Deo: Iste verò imperfectus, peccator nimirum & mortalis: non quia factus à Deo; sed quia per Adamum factus. Sic fides & cæteræ enumeratæ virtutes sunt Dei opera, nec perfectæ tamen: Alioquin unde preces: *Adauge nobis fidem*: Luc. 18. v. 5. Sic charitas in singulis fidelibus est opus Dei: & nihilominus scribit Augustinus contra Pelagium & Celestinum lib. 2. cap. 11. *Charitas adhuc etiam in tantò Apostolo de die in diem profectò agebatur: quamdiu homo ejus interior de die in diem renovabatur*, (NB. renovabatur, non justificabatur) *perficiendo sine dubio, ubi jam non posset inflari*. Tandem ipsa salus nostra est opus Dei: sed nondum perfecta. Certum ergo est, quod rota nostra habitualis justitia sit quidem opus Dei, sed imperfectum.

CXXIX. Unde sic argumentor: Nulla actio imperfecta & ex parte injusta justificat: At omnes actiones, justificationem sequentes, sunt imperfectæ & ex parte injustæ: Ergo nullæ actiones & opera justificationem sequentia justificant. Et si non hæc: Ergo multo minus opera justificationem præcedentia: quippe quæ sine fide sunt.

CXXX. Tandem quomodo sibi imaginentur Papistæ, virtutes illas justificandi vim obtinere posse, explicat Becanus §. 6. Porro, inquit, *hæ dispositiones non requiruntur ex naturâ rei, quasi gratia sanctificans & remissio peccatorum non possit homini conferri, nisi per supra dictos actus preparatò & dispositò; sed tantum ex ordinatione & voluntate DEI. Prior pars patet in infantibus, quibus in Baptismò remittitur peccatum originale, & infunditur gratia sanctificans, sine ullâ præviâ dispositione. Posterior patet in adultis, qui neutrum consequuntur, nisi prius sint dispositi, idque ex præceptò & beneplacitò DEI.*

CXXXI. Hæc dicuntur & finguntur : non probantur. Probavimus nos sufficienter, quod talis DEI ordinatio & voluntas nullibi sit revelata. Deinde peccatum originale remitti in Baptismô Infantibus, verum est ; infundi autem gratiam habitualem & qualitatem sanctificantem, neque scriptura dicit, neque postea experientia comprobat : Quando vitium originis crescentibus sensuum organis subinde in actualia peccata prorumpat. Tertiò in adultis patere, quod neutrum consequantur, nisi prius sint dispositi, imaginatio Jesuitica est. Cōtrarium enim & scriptura & experientia testantur.

CXXXII. Progreditur Becanus ad quæstionem quartam : quâ quærit : *An prima Justificatio sit gratuita, hoc est, an per enumerata opera non solum disponamur, sed etiam mereamur primam justificationem, an verò, iis positis, adhuc gratuita sit justificatio.* Et respondet §. 2. *Adversarii strenuè hîc mentiuntur. Afferunt, nos docere, nostris nos operibus justificari, id est, justificationem mereri. Non id docemus. Fatemur quidem cum Apostolo, secundam Justificationem, id est, augmentum justitiæ conferri nobis à DEO propter bona opera, quibus id meremur, sed negamus primam justificationem esse ex nostris meritis. Et quæ sequuntur.*

CXXXIII. Si veritatem loqui est mentiri, nos mendacii justè accusat hic nugigerulus. Audiamus Bellarminum lib. 1. de Justific. cap. 17. sic scribentem : *Præcipua causa inquit, cur adversarii soli fidei Justificationem tribuant, illa est, quod existimant, fidem non justificare per modum causæ aut dignitatis, aut MERITI, sed solum relative, quia videlicet credendo accipit, quod DEUS promittendo offert. Nam si persuaderi possent, fidem justificare IMPETRANDO ac PROMERENDO & suo quodam modo inchoando justificationem, sine dubiò non negarentur, id etiam dilectioni & pœnitentiæ aliisq; bonis actibus convenire.* Et paulò post. §. Argumentum tertium. *Tertium argumentum, inquit, quod etiam potissimum est, sumitur ab iis locis, quæ docent, per fidem imputari remissionem peccatorum, ac per hóc justificari hominem ex fide, non quia fides tantum respiciat promissionem, & illam credendo apprehendat, sed quia REMISSIONEM IMPETRET, & suo quodam modo etiam MEREATUR &c.*

CXXXIV. I nunc Becane, & dic, nos strenuè mentitos esse. Quid enim verbis illis clarius, quid disertius? Et ne quis existimet, Bellarminum agere de Justificationis incrementò; probè tenenda sunt verba, quibus in exordiò *lib. 2. de Justific.* utitur: Sic autem librum istum orditur: *Expositis iis, quæ justificationem præcedunt, de ipsâ justificatione, id est, de causâ formali, propter quam homo dicitur justus coram DEO, differendum est.* Ergo egit in primò librò de fide, ut ex Pontificiorum sententiâ præcedit justificationem, proindeq; pertinet ad præparationem Justificationis. Id etiam est manifestum ex ordine disputationis de Justificatione, quam libris suis quinque de justificatione præmittit. Ubi sic scribit: *De Justificatione, quæ est secunda questio principalis, tria potissimum tractanda sunt. Primò de dispositione præcedente justificationem. Secundò de justificatione ipsâ. Tertiò de operibus consequentibus justificationem. De dispositione præcedente, duæ sunt præcipuæ questiones? Prima; Quenam sit fides Justificans? 2. An Fides sola justificet. Et de his duabus questionibus agitur solis in primò librò. Illæ verò pertinent ad præparationem & dispositionem.*

CXXXV. Quæstione quintâ quærit Becanus, *quæ sit formalis causa Justificationis*: Et respondet, *ex dictis patere, in Justificatione esse duos effectus formales: Alterum, sanctificationem hominis interioris, alterum, expulsionem peccati*: Quærit igitur, *quæ sit causa horum effectuum, id est, quæ sit illa forma, quæ hominem sanctificet & peccatum expellat. Catholici docent (addit) esse justitiam inherentem sive gratiam habitualem.* Sed quia error hic satis in præcedentibus est refutatus, & omnia, quæ sequuntur, per illa corruunt, nulla causa est, cur in istis frivolis, quæ sequuntur, diu immorari velimus, cum omnia nitantur falsis istis hypothefibus, nec contra nos quicquam peculiare moveatur, sed quæ inter se Pontificii malè feriatî sophysticè movere & agitarie solent, proponantur. Meritò igitur Sophistos istos committimus, ut in istis suis nugis sese oblectent, quantum libuerit, placuerit.

CXXXVI. In Sextâ quæstione quærit, *quæ sit materialis causa Justificationis.* Et facit subjectum solam animam: Nos totum hominem. Nam licet peccati *πρώτον δεκτικόν* sit anima, commune tamen subjectum est totus homo: quippe ejus non tantum anima & sic pars, sed ipse totus peccator est: Ergo etiam Justificationis subjectum erit totus homo justificandus, sive totus justificatus. Quia autem negamus gratiam inhaerentem esse formalem causam Justificationis; frustra quæritur inter nos, quomodo in hoc vel illò subjectò sit tanquam forma justificans, quomodoque introducatur: cum non Entis nullæ sint qualitates, nullæ actiones, nullæ passionis.

CXXXVII. Quæstionem Septimam movet *de causâ finali & efficiente Justificationis.* Et finem facit triplicem. 1. *Salutem & felicitatem ejus, qui justificatur.* 2. *Gloriam Christi hominis.* 3. *Honorem Dei.* Quos concedimus.

CXXXVIII. *Causam efficientem* facit duplicem: *Principalem & instrumentariam.* Principalem solum DEUM: Instrumentarias duas: Christi humanitatem & Sacramenta.

CXXXIX. Principalem quidem causam rectè solum DEUM definit: sed an seriò, dubitari potest. Cum enim opera faciat meritorias causas Justificationis: non video, quomodo ex classe principalium causarum ejici queant. Quod omnis meritoria causa ad principalem referatur. Atque hanc etiam ob causam negandum est, *humanam naturam Christi* referendam esse inter instrumentarias causas; cum meritoria sit. Nam licet Christus in humana natura sit passus, & obedientiam legi præstiterit: non tamen in eâ, tanquam per instrumentum fuit operatus vel passus. Nulla enim est consequentia, hoc quis manu suâ peregit, aut scripsit, &c. Ergò per illam tanquam instrumentum. Sic enim nullum esset discrimen inter manum sive partem & malleum sive calamum.

CXL. *Sacramenta* esse instrumenta justificationis ex parte DEI concedimus. Pœnitentiam verò & cœtera, quæ juxta opinionem erroneam Pontificiorum à Becanò numerantur,

tur, utpote *confirmationem, ordinem, extremam unctionem, matrimonium*, sacramenta esse negamus. Sacramenta ergo vera, nempe Baptismus & Eucharistia, sunt instrumenta justificationis, sed non tantum: verum etiam verbum Dei: & ex parte nostra fides.

CXLI. Tandem quærit, *quomodo hæc instrumenta agant, an physicè, an moraliter*. Et concludit, *moraliter*. Sive autem hoc, sive illud definiat, cum principalibus causis illa confundit.

CXLII. Octavo progreditur Jesuita ad *causam meritoriam*, & quæ illa sit, quærit. Et respondet, *esse Christum Dominum*; additq; *consentire adversarios*. Sed quomodo consentimus? certè, ut humana Christi natura includatur, non excludatur: Siquidem sanguine suo Deus redemit Ecclesiam: & sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato, *1. Job. 1. v. 7*. Ergo humana natura est pars meritoriae causæ, & non instrumentum. Instrumentum enim nihil meretur: Hic enim effectus à solâ causâ principali est. Quæ porro circa hanc quæstionem moventur, partim huc non pertinent, partim nullius sunt momenti.

CXLIII. Nonò quærit Becanus: *Quò ordine temporis: Et decimò, quò ordine naturæ fiat prima justificatio*. Stultæ nobis sunt hæc quæstiones. Nam in non Entia, neque tempus, neque natura, neq; ordo cadit. Quia ergo justificatio prima & secunda sint *unò ovæ*, ut ex superiorib. liquet: frustra de illarum ordine, tempore ac natura quæritur.

CXLIV. Undecimò quærit Becanus: *An homo possit habere certitudinem fidei de suâ justificatione*. Respondet, *affirmare nos, negare Catholicos cum Concilio Tridentino, sess. 6. c. 9. & can. 13. & 14*. Et rem ex sua parte ita explicat: *Certitudo fidei non habetur, nisi de re divinitus revelatâ. Unde, si Deus alicui revelaret, se ipsi remittere peccata, is haberet certitudinem fidei de suâ justificatione, quod contigit Magdalene, paralytico, Zachæo, Larroni. Contra, quibus non revelat, non possunt habere hanc certitudinem. At quis nostrum est, cui revelavit? Nec sufficit illa generalis revelatio; Qui crediderit, salvus erit, Hæc enim applicari non potest, nisi eadem certitudine cer-*

tus sis, te fidem & reliqua necessaria habere. At ubi hoc revelatum est?
Nusquam invenio.

CXLV. Responsum est partim in hac, partim in 15. disputatione ad simile argumentum. Sed quia res ardua & maximè necessaria est, non erit tædiosum, si aliquid & hoc locò respondeamus. Sic vult argumentari categoricè Becanus: Cui DEUS non revelat, se ipsi remittere peccata, is non potest habere certitudinem fidei de suâ justificatione: Atqui nulli nostrum DEUS revelat, se ipsi remittere peccata? Ergo nullus nostrum potest habere certitudinem fidei de suâ justificatione. Majorem probat: Quia certitudo fidei non habetur, nisi de re divinitus revelata. Minorem confirmat. Nam quibus DEUS suam peculiarem gratiam de remissione peccatorum non ita revelat, ut revelavit peccatrici, paralyticò, Zachæo, Latroni, &c. Illi eam planè non revelat: At sic nulli nostrum revelat: Ergo planè non revelat.

CXLVI. Respondeo negando Minorem: cum probatio ejus sit nulla, proindeq; contrarium dico, *Unicuiq; nostrum, qui fidelis est, id revelatum esse.* Probo. Quod de universali dicitur universaliter, ipsi esse revelatum, id distributivè omnibus ac singulis est revelatum: Atqui de homine credenti, tanquam universali, dicitur universaliter, nempe de omni credente, ipsi esse revelatū, quod remissa habeat peccata: Ergo omnibus & singulis individuis, nempe singulis credentibus, est revelatum, quod habeant remissa peccata. Major est *αὐτόματῶς*: Nam quod dicitur de universali universaliter, id quoque necessariò tribuitur omnibus particularibus ac individuis sub universali illo contentis. Ergo quod homini est revelatum universaliter: Id singulis hominibus est revelatum: cum homo universale nihil sit, nisi particulares homines. Quod si negare Jesuitæ præsumunt, necesse est, omnem rationis usum aboleant, omnemq; rerum veritatem tollant. Exempli causâ: Negandum ipsis esset; Anguillas, carpiones, percas à Deo creatas esse: cum nusquam nominatim dicat Scriptura: anguillas, carpiones, percas creavit Deus. Sed mira hæc esset *ἀναδυσία*, imò *ἀπὸ νοῦ*.
omni-

Omniñò revelatum est in Scripturis, anguillas, percas &c. creatas esse à Deo: Quia universaliter revelatur & scribitur Gen. 1. v. 21. *Creavit D. E. U. Scetos magnos, & omnem animam reptantem, quam produxerunt aquae juxta speciem suam.* Et sanè contendunt Pontificii, Eustathianos, prohibentes conjugium saltem à scripturis damnari: quod in genere pronunciet Spiritus, qui prohibeant matrimonium, esse deceptores. 1. Tim. cap. 4. v. 3. Etiam si Eustathianorum nomen nusquam in Scripturis invenitur. Et infinita sunt ejusmodi.

CXLVII. Minorem ergo facile probare possumus, nempe omnibus nobis fidelibus sive credentibus esse remissa peccata: atq; hoc nobis singulis revelatum esse. Quandoquidem ipse Becanus allegat dictum, ad sententiam hanc nostram confirmandam accommodatissimum. Marc. 16. v. 16. *Qui crediderit, salvus erit.* Ad damus nos Joh. 3. v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam.* Item Rom. 3. v. 22. *Iustitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Item Joh. 6. v. 39. *Hæc est voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam: Ego verò resuscitabo illum ultimò illò die. Amen, amen, dico vobis: qui credit in me, habet vitam aeternam &c.* Sanè sub illis universalibus omnes fideles se subsumere possunt: Quod enim in genere inibi dicitur de omnibus fidelibus, id quoq; dicitur de singulis fidelibus, de hoc, illò, istò, Petro, Paulo, &c. Est enim in singulis dictis universale distributivum: quod tantum in individuis suam habet veritatem.

CXLVIII. Excipit Becanus §. 3. *Non sufficit, inquit, illa generalis revelatio: Qui crediderit, salvus erit. Hæc enim applicari non potest, nisi eadem certitudine certus sis, te fidem & reliqua necessaria habere. At ubi hoc revelatum est. Nusquam invenio.*

CXLIX. Quid audio? Vult Becanus cum suis Tocienis, singulorum fidelium nomina in Scripturis extare. Sed præter rem importunus est. Quis enim sanus unquam dixit, nihil à Deo esse revelatum, nisi ἀπολεξεί totidemq; literarum ductibus

bus in Scripturis extet. Continet Scriptura universalia : non exprimit omnia individua : neq; debet. Sic lex universalis est : omnes studiosi diligenter debent literis incumbere : Qui ergo se subsumit, & dicit : *Ego Petrus sum studiosus* : ἄλογος lanè erit, si non intelligat, prædicatum universalis legis sive propositionis ad se quoque pertinere, & sibi diligenter literis incumbendum esse.

CL. Sed, inquis, hoc urgere Becanum, non posse quempiam eadem illâ certitudine, quâ percipit sine dubitatione veram esse hanc universalem : *Qui crediderit, salvus erit.* certum esse, se habere illam fidem, & sic sub illâ universali sine omni dubitatione & hæsitacione se subsumere : cum id ipsi non revelatum sit.

CLI. Negamus hoc : & certus esse potest, & certus fieri necesse est. Si enim certus non est, non est fidelis ac credens : vel si dicat, se certum esse, quod credat, & veritatem non dicat, h. e. non credat ; neque is fidelis est, sed hypocrita. Atqui vero infideles & hypocritas certos vel non esse, vel non esse posse de fide, nemo dubitat. Verum esse aliquem fidelem, & esse de fide incertum, contradictio est.

CLII. Quod autem qui verâ fide præditus est, certus esse possit, se illâ præditum esse, & sic verè credere, id supra multis demonstravimus. Quandoquidem fidei hæc natura est, ut, in quò est, illum certum faciat de suâ præsentia : Nam qui notiâ (qui primus gradus est fidei : Nos enim nullam agnoscimus fidem sine notiâ) est præditus, ille non potest non cognoscere, nec potest non scire, quod cognoscat : Nam admodum stupidus esset, qui cum aliquid sciat, non sciat, quod sciat. Et qui assentitur, (qui secundus gradus est) non potest non assentiri, nec potest non scire, quod assentiatur. Tandem, qui fiduciâ verâ (nempe terriò ac ultimò fidei gradu) præditus est, ille non potest non fiduciam suam in Deum & Christum suum collocare, non potest non firmiter credere, id verum esse, quod in promissionibus divinis promittitur & offertur, nec non intimò cordis affectu confidere, quod distributivè singulis promittitur,

tur, id sibi quoq; promitti, atq; sic intimâ magnâq; confidentiâ sibi applicare.

CLIII. Atque propter hanc certitudinem dicitur fides *hypostasis rerum sperandarum*, Hebr. II. v. r. Hoc est, ut Lutherus rectè explicat: *Fides est certa, altissimeq; animò insidens divina bonitatis & gratiæ per verbum Dei cognita atq; manifestata fiducia.* Quæ igitur fides vera & justificans est, fiducia est, quia semper confidit de salute suâ. Consentit Chrysostomus: *Quandoquidem quæ in spe sunt, videntur non habere subsistentiam, fides eis subsistentiam largitur: Imò ipsa est eorum essentia? Exempli gratiâ: Resurrectio nondum advenit, neq; est in subsistentia: Verum spes facit eam subsistere in animâ nostrâ. Atq; hæc est πίστις, πρὸς τὰ ἀγαθὰ, hæc Chrysostomus. Eodem modo Oecumenius: Deinceps (inquit) explicat, quid sit fides: Et fides, inquit, est ipsa subsistentia & essentia sperandarum rerum. πίστις ἐστὶν αὐτῆ ἢ πίστις ἔστι τὸ ἐπιζουμένον πρὸς τὰ ἀγαθὰ: Cum enim quæ in spe sunt, subsistentiam non habeant, ut quæ nondum adsint, ἢ πίστις ἔστι τὸ ἐπιζουμένον πρὸς τὰ ἀγαθὰ, ἢ πίστις ἔστι τὸ ἐπιζουμένον πρὸς τὰ ἀγαθὰ: εἶναι αὐτὰ καὶ ὡς εἶναι τὸ ὄρατον τινὰ ὡς ἀκλόνητον, καὶ τὸ πρὸς τὸ εἶναι: fides sit eorum quædam essentia & subsistentia; efficiens quodammodo ut sint & adsint; per id ipsum, quod ea credat esse. Idem expressit Ambrosius in Orat. de obitu Theodosij: *Nec mirum, si auget ætatem fides, cum representet futura. Quid enim est fides, nisi rerum, quæ sperantur, subsistentia? Ubi verbum representare notetur, quo significatur id, quod præsens vel quasi præsens sistitur. Ergo fide res, quæ creditur, credenti præsens sistitur. Idem enim Ambrosio est futura præsentare, quod Chrysostomo πίστις καὶ ἐστὶν.**

CLIV. Quò certè summa vis certitudinis indicatur. Varii quidem sunt certitudinis modi, & in illis variis gradus: summus verò est, qui est ipsa præsentia. Nihil enim potest nobis esse certius, quàm quod nobis præsens est. Quia itaq; huic præsentiaæ æquatur hæc fidei certitudo; sequitur, quod maxima, quod summa sit, nec major dari possit: Cum certitudine præsentia non detur major. Hæc verò fidei certitudo quia cum applicatione est; porro ἀποδεικτικῶς inferitur, quod

H 2

certis

certissima sit quoque ejus applicatio. Quomodo autem & in quibus hæc sit præsentatio? Sanè nō in ipsis rebus, quæ præsentantur: neque in fictâ Ideâ Platonîcâ, sed in singulis individuis humanis, quæ credunt. Nam in ipsis rebus, quæ creduntur, præsentari nequeunt, quia per se non subsistant: quippe sperantur adhuc: quæ autem sperantur, & ut sperantur, quando essentiam sive subsistentiam nanciscuntur, non in se, sed in aliis eam accipiunt & habent: Ergò in Ideis, sive universalibus? Falsum. Nihil enim ea sunt in se: tantùm quicquid sunt, cogitatione mentis sunt. Manet igitur, quod in individuis credentibus repræsententur. Verbi gratia: Resurrectio nulla est futura, nisi in singulis, qui resurgent: Et ut in singulis futura est, sic speratur in singulis & à singulis: Et ut in & à singulis futura speratur: Sic in singulis resurrectionem credentibus illa repræsentatur. Sic Paulus Apostolus fide repræsentavit resurrectionem: Stultus Jesuita dicet in aliis: Veritatis studiosus, & qui mente captus non est, in seipsò, & sic sibi eam per præsentationem fiducialem certam fecit Paulus.

CLV. Huc quadrat emphatica Syri paraphrasis *vers. 7. cap. 11. ad Hebr.* quæ latinè versa sic habet: *Fides est persuasio de his, quæ sunt in spe, ac si ipsa essent illis in effectu.* Vim ergo vocis *πίστωσις*, certitudinem fidei complectentis, ita exponit, *In his ac si essent in effectu.* En summam certitudinem! Sensus enim est: Fides ita certos reddit homines de eò, quod sperant, ac si jam illud completum esset, & effectu præstitum. Applicatio deinde continetur: *Si essent illis.* Est quidem relativum hoc (illis) in Syriacò sine antecedente expresso positum; Non autem potest non referre eos, qui fide sunt persuasi de iis, quæ adhuc sperant. Quò etiam pertinere puto illud Chrysostomi: *ὁπίσθησιν ἐν τῇ ὑμῶν ψυχῇ, id quod non est, facere fidem, ut subsistat in animâ nostrâ.* Quæ omnia huc necessariò redeunt, ut quisquis verâ fide credat, exempli gratiâ, aliquam remissionem peccatorum; eam etiam sibi esse futuram, neque hoc tantùm, sed etiam sibi certò esse futuram, credat. Aliàs enim
hæc

hæc fides non foret vera fides, nempe quâ veri fideles distinguuntur ab infidelibus & hypocritis: sed esset aliud genus fidei, quod forsan & in Diabolos ac extremè impios cadit. Id verò nihil ad nos.

CLVI. Excipit Becanus §. 4. *Quod ajunt adversarii, sentire & experiri in se motiones Spiritus Sancti. Nihil est. Primum, quia ejusmodi motiones sunt communes justis & peccatoribus, Apoc. 3. v. 20. Ego sto ad ostium & pulso. Secundò, quia non præbent certitudinem fidei, sed experimentalem, quam nos concedimus. Hæc autem certitudo experimentalis multum distat à certitudine fidei, quia potest illi subesse falsum. Etsi enim certus sim, & in eò falli non possim, quia sentiam, me moveri, non tamen certus sum, me moveri ut justum. Multi enim & peccatores à DEO moventur.*

CLVII. Primum respondemus, nos non tantùm hoc uti argumentò; sed etiam ex ipsâ naturâ fidei idem demonstrare, nempe quod nihil aliud sit, quàm rerum, quæ aut non videntur, aut planè non sunt, sed sperantur, certitudo & applicatio tam certa, ac si essent ac conspicerentur. Quare ubi fides est, non potest non animum hominis certum, firmum ac ἀμετάπλητον facere: Si enim id non faceret, contra suam naturam ageret, seipsam destrueret, ac vera fides non esset: Hinc argumentamur. Fides est non apparentium, sibi autem propositarum, ἔλεγχος, id est, tam certa ac firma certitudo, quàm ipse aspectus rerum, quæ videntur: At remissio peccatorum est in illis, quæ non apparent, & tamen fidei proponuntur: Ergo fides est ἔλεγχος, hoc est, tam certa ac firma certitudo remissionis peccatorum, quàm aspectus rerum, quæ videntur: Et per consequens fidelis dubitare nullus potest.

CLVIII. Deinde motus Spiritus Sancti, de quibus nos agimus, nequaquam communes sunt piis & peccatoribus. Excitantur enim per inhabitationem Spiritus Sancti in cordibus nostris: per quam non amplius sumus in carne, sed in Spiritu, quò dicimur & adoptamur Filii DEI, & Abba pater clamamus. De quâ Paulus, Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei effusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et Rom. 8. vers. 9. *Vos*

Vos autem non estis in carne, sed in Spiritu: Siquidem Spiritus DEI habitat in vobis. Quod si quis Spiritum Christi non habet, is non est ejus. Quicumque Spiritu DEI ducuntur, ij sunt Filii DEI. Non enim accepistis Spiritum servitutis rursus ad metum: sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba Pater. Sunt ejusmodi motus, quibus testimonium Spiritus Sanctus perhibet Spiritui nostro, nos esse Filios DEI, & quibus efficit, ut nos testimonium habeamus in nobismet ipsis, quod nobis data sit vita aeterna, juxta dicta scripturae, Rom. 8. v. 16. Ipse Spiritus testatur una cum Spiritu nostro, nos esse Filios DEI. 1. Johan. 5. v. 10. Qui credit in Filium DEI, habet testimonium in seipso: Est autem hoc testimonium, nempe quod vitam aeternam dedit nobis DEUS. Sunt tandem ejusmodi motus, quibus Spiritus Sanctus nos ungit, certitudinem fidei confirmat, & seipso tanquam arrhabone obsignat juxta dicta scripturae. 2. Cor. 1. v. 21. Qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui unxit nos. Deus est, qui etiam obsignat nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus nostris. c. 5. v. 5. Deus is est, qui nos ad hoc ipsum condidit: qui etiam dedit nobis arrhabonem Spiritus. Hi, inquam, sunt illi spirituales motus ac operationes, quas certe Spiritus Sanctus non promiscue habet in hominibus, sive fidelibus, sive infidelibus: sed qui ita gratiose tantum habitat in piis ac fidelibus: etiam illos solos sic ungit, obsignat & in fidei certitudine confirmat.

CLIX. Quod attinet dictum *Apocal. 3. v. 20.* Concedimus id loqui de ejusmodi actione Spiritus Sancti, quae versatur & circa pios, & peccatores. *Ostii* enim nomine cor hominis intelligit. Illud, sive pium sit, sive impium, pulsatur Dominus verbi sui praedicatione, clamans & testificans. Et verò nunquam fructu caret: quia pii consolationem inde recipiunt, reprobi verò per eam judicantur. Idque verum esse, sequentia verba satis clarè testantur: *Si quis audierit vocem meam: Id autem proprium est ovium Christi, vocem ipsius audire, eumque sequi, Johan. 10. v. 27. & aperuerit januam: hoc est, libenti animò verbum auditum receperit & crediderit mihi: velut illi, de quibus Lucas Actor. 7. v. 11.* Nunc sequitur illa singularis inha-

inhabitatio & motio DEI, quæ certè impiis nullo modo tribu-
tur; Inquit enim porrò: *Intrabo ad illum, & cenabo cum illò &
ipse mecum.* Qui enim Christum fide receperit, unum cum
illò efficitur, & verà animi pace ac tranquillitate fruitur; quod
hoc locò nomine eanæ significatur. Hanc ergo peculiarem
actionem & unionem, quæ in solis fidelibus peragitur, debu-
isset Sophista ab illà universali ac communi pulsatione sive vo-
catione distinguere, sicq; non potuisset non videre, illò dictò
contra nos nihil effici posse.

CLX. Deinde motus & actus Spiritus Sancti, quos
perficit in fidelibus, tantùm levem & experimentalem esse cer-
titudinem, cui fallum & deceptio subesse possit, falsissimum,
imò blasphemum est. Nam totam illam operatur Spiritus
Sanctus; quippe qui primùm objicit in verbo promissiones Dei
in se certissimas, atque per illas gignit fidem, quâ credit homo,
illas Dei promissiones veras ac certas esse: Et quia in se conti-
nent spiritualia bona, quæ non apparent, efficit idem Spiritus
Dei, ut in corde nostro per fidem tam certa sint, tanquam quæ
appareant; & non tantum hoc, sed ut quoque certò simus per-
suasi, bona etiam ista nobis promissa, & sic revera nostra & non
alterius esse. Hanc porrò certitudinem, confidentiam ac *πλη-
ροποιήσας*, seipsò tanquam arrhabone obsignat, & immota ve-
ritatis testimonium exhibet Spiritui nostro, quod simus filii
DEI. Quomodo ergo hic dubitatio, fallacia, deceptio subef-
se poterit? Non ergo nuda experimentalis est certitudo: Sed
est, quæ rem ipsam ponit: quam testatur Spiritus sanctus, &
se ipsò, utpote essentiali Dei veritate, obsignat.

CLXI. Quod autem Becanus de se dicit, *et si certus sim,
& falli in eò non possim: quin sentiam, memoveri: non tamen certus es-
se possim, memoveri ut justum.* ambabus manibus largimur id ipsi,
imò omnibus Pontificiis ita contingere. Quomodo enim a-
litet? Cum veram fidem non habeant; cum Spiritui Sancto, fi-
dem docenti, non credant; cum quis sit verus ille motus, quò
Spiritus sanctus corda piorum moveat, non tantùm non intel-
ligant, sed etiam negent: Ad summam! tantùm ex suò cerebriò

de fide statuunt, sibiq; idolum fidei, cuius non Spiritus sanctus, sed perversa ratio autor est, fingant, & sic seipso decipiant.

CLXII. Quæstio duodecima, quam movet Becanus, est: *An possit justificatus amittere justitiam semel acquistam?* nihil ad nos. Interim quæ tangit de confirmatis in fide, ambigua videntur. Peccata enim, quæ committunt verè fideles, licet fideles sint, & propterea ipsis sint venialia: non tamen in se sunt talia: cum omne peccatum, suâ naturâ sit mortale: veniale tantùm fiat ac dicatur ratione personæ, cui est remissum.

CLXIII. Decima tertia & ultima quæstio est: *Quomodo justitia, semel amissa, conservetur?* Respondet S. I. Calvinista docent, solâ fide conservari, fidem autem non posse deficere. Errant in utroq;. Catholica sententia est, conservari observatione mandatorum Dei. Hoc docuit Christus, Matthæi 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et apertius Johannis 15. vers. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione meâ.* & v. 14. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego precipuo vobis.*

CLXIV. Prius, nempe solâ fide conservari justitiam, affirmamus: ut enim justitia nobis confertur, sic in nobis conservatur. Posterius, nempe fidem non posse deficere, nihil ad nos: de eò tranfigat cum Calvinianis. Statuimus enim Lutherani, fidem deficere posse. Opinionem verò Pontificiorum, fidem servari observatione mandatorum DEI; ut erroneam & falsam planè rejicimus: Et docuisse eandem Christum locis allegatis pernegamus.

CLXV. Nam quod attinet primum Matth. 19. v. 17. negamus, in eò quicquam agi vel de fide, vel de justitia fidei, vel de justificatione, vel de ejus incremento, aut conservatione; sed de justitiâ operum: De quâ quia quærebat securus juvenis, ac per suum bonum facere, justificari & servari volebat; ei etiam de illâ respondit Christus: proindeque non respexit, quid possint:

possint homines, sed ad propositam quaestionem respondit, quænam sit operum justitia, nempe quam lex definit. Et omnino ita est statuendum, Deum lege suâ complexum esse justè sancteque vivendi rationem, quâ justitia continetur. Siquidem non frustra dixit Moses. *Qui fecerit hæc, vivet in eis*, Levit. 18. v. 5. Quocirca negandum nequaquam est, legis observationem esse justitiam, quâ vitam sibi acquireret, si quis perfectus Legis observator esset. Quia verò talis nullus reperitur, accidit, ut non nisi maledictio ex lege expectanda sit: proptereaque nihil nobis restet, quàm confugere ad Dei misericordiam & gratuitum justitiæ donum. Hinc Apostolus Paulus duplicem facit justitiam, unam legis, alteram fidei: illam in operibus legis, hanc in merâ Christi gratiâ locat, *Rom. 3. v. 27. & cap. 10. v. 5. 6.* Christi ergo responsum legale est: quia juvenem de lege querentem prius docere oportuit, neminem coram Deo ex lege justum censerem, nisi qui ipsi per omnia satisfecerit: ut ita infirmitatis suæ convictus, ad fidei subsidium se conferret: ut etiam convictus est. Quia autem de hoc subsidio nihil amplius quaesivit, tristis abiit, & justificatus non est.

CLXVI. Dicto quoque *Job. 15. v. 10.* nihil probat Jesuita. Quandoquidem neq; illò agitur de fidei conservatione, sed potius de unionis cum Christo continuatione: nempe hanc fieri servando mandata ejus: in quò complectitur fidem & veram doctrinam cum studio obediendi. Sic præcedente *Cap. 14. v. 21.* dicit Christus: *Qui habet præcepta mea & servat ea, is est, qui diligit me.* Sic verò *23. Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Ubi per *præcepta & sermonem* non legem Moysi intelligit Christus, sed suam doctrinam, quam ex sinu æterni patris attulit, & nobis revelavit. Et *si quis diligit me, est idem, si quis vult verus esse meus cultor, is custodiat meam doctrinam ac religionem: illi ego cum patre & Spiritu sancto me patefaciam, & familiariter cum eo vel etiam in eo habitabo.* Et rectè ac verè Matthias Flacius in versu hoc 23. vocem *dilectionis interpretatur de vivâ fide*, sic scribens: *In hoc versu etiam plenius profundiusq; ratio veri Christianismi exponitur.* Pri-

mum enim vult Christus, ut credamus in se; quam fidem dilectionis nomine ob plures causas notat. Primum ut vivam fidem noveret, quae est minimè ociosa speculativaq; notitia: sed quae cognitum bonum simul toto pectore expetat aveatq;, & quasi cupidissime deoretur but amplectatur. Deinde eadem Emphasi vocis vult indicare, fidem debere sese ab omnibus aliis rebus aut praesidiis adjumentisq; ad hunc unum mediatorem convertere: sicut ardens amor totus in solam rem amatam intentus est. Postremò etiam ideò ita loquitur, quia tanta difficultates sese conversis credentibusq; à Satanà, mundo & carne objiciuntur, ut nisi ardentissime vivaq; fide huic Christo ejusq; Evangelio adhaereat, non sit tandem in veritate persistens. Sic vox dilectionis triplicem proprietatem hic notat, ut sit viva, vereq; hunc Christum, ejusq; opem expetat & amplectatur: ut hunc solum pro suo servatore habeat, desertis omnibus aliis servatoribus & salutis adjumentis, sicut Paulus praè hoc omnia pro rejectamentis habet: Et deniq; ut ei constantissime adhaereat. Certum ergo est, quod in allegatis & similibus dictis agatur de ratione veri Christianismi, in qua fides est omnia, nempe à qua fluunt omnia. Et licet in illa ratione etiam est conservatio fidei, non tamen propterea modus ejus conservacionis exprimitur.

CLXVII. Pergit Becanus & §. z. rationem addit, cur necessum sit, fidem observatione mandatorum DEI conservari. Ratio est, inquit, quia justitia non perditur, nisi per peccatum mortale: At nemo peccat mortaliter, nisi transgressionem mandatorum: Ergò qui servat mandata, non peccat mortaliter, ergo nec justitiam amittit. Huc spectat illud 2. Petr. 1. vers. 10. Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis: Hæc enim facientes non peccabitis aliquando.

CLXVIII. Respondemus, laborare discursum Becani fallaciã consequentis. Siquidem nulla est consequentia

tiæ necessitas, peccatis mortalibus & transgressione mandatorum
DEI justitia perditur: Ergo fides observatione mandatorum
DEI conservatur. Eadem est hæc ipsorum argumentatio
cum illa: Mala opera damnant: Ergo bona justificant & sal-
vant. Ut autem illatio hæc falsa est, propterea quod mala
quidem opera, quia perfectè mala sunt; damnant: Bona ta-
men opera quia imperfecta sunt, nec justificare, nec salvare,
possunt: Cum ad id perfecta requiratur justitia. Sic nulla
est consequentia: Mala opera expellunt fidem, ergo bona conser-
vant. Illa enim quia perfectè mala sunt, perfecta bonitas,
quæ est fidei justitia, cum illis stare nequit: Hæc verò quia
imperfectè bona, potius à fide conservantur, quàm quod fi-
dem conservent. Dicendum ergo, qui ex fide bona opera-
tur juxta legem Domini, illum quidem non obicem ponere
Spiritus sancto, neque ipsius actionem, quâ in nobis fidem
gignit & conservat impedire: Non autem propterea efficaci-
ter conservare. Aliud enim est, non impedire veram caus-
sam in suâ actione conservante fidem: Et causam existe-
re efficientem & veram illius conservationis. Deinde quo-
modo effectus, qui & in re fieri & in continuari pendet à cau-
sâ, potest dici conservare causam? At bona opera, ut bona,
tanquam effectus pendent à fide, tanquam causâ efficien-
te & conservante: Nequaquam igitur illa fidem, sed po-
tius hæc conservat illa. Ad summam: Ut Spiritus San-
ctus est vera causâ efficiens nostræ justificationis, in nobis
per verbum accendens fidem: sic quoque est vera causâ efficiens
nostræ sanctificationis, proindeque omnium operum sancto-
rum & bonorum: qui illa nostris facultatibus ac viribus
assistens per illas producit. Quando ergo Spiritus sanctus &
quamdiu per fidei conservationem, nostram justificationem
continuat & conservat, iùm etiam & tamdiu nos sanctifi-
cat, in nobis excitando pios ac bonos motus, virtutes, actio-
nes, & opera bona, sancta & justa: & sic facit, ut fides per chari-
tatem sit efficax.

CLXIX. Quod attinet dictum ex 2. Petr. 1. v. 10. allegatum, ibi sciendum initiō, quod ita quidem habeat vulgata versio in nonnullis exemplaribus: Emendatiora autem duas illas voces, *Bona opera*, non habent, sicut nec Græca ulla. Sic enim in Græco verba jacent: Ἀδελφοὶ ἀσθεναστε βεβαιῶν ὑμῶν τὴν κλησιν καὶ ἐκλογὴν ποιείσθε. *Fratres studete, ut vocationem & electionem firmam efficiatis.* Nulla ibi fit mentio operum. Hinc quoque ipse *Cajetanus* dicit, illas duas voces superfluere: Et *Biblia Isidori Clarii, Episcopi Fulginatis*, Venetiis annō 1557. impressa, excludunt illas voces.

CLXX. Si autem *Becanus* & cœteri *Jesuitæ* illas adhuc urgere velint, nihil tamen efficient. Siquidem nihil *Apostolus* eō loci agit de continuatione fidei, sed de confirmatione vocationis & electionis. Quæ verò etiam non propterea confirmandæ esse dicuntur, quod incertæ sint, vel quod vocationis certitudo primūm ex bonis operibus sit quærenda. Longè enim aliud est, *firmam per bona opera facere*, hoc est, confirmare. Qui verò modus loquendi non semper usurpatur de re, quæ primò est incerta: Sed de eâ, quæ etsi primò & per se sit certa, tamen complementum sui expectat. Sic infinitis in locis dicitur *Deus confirmare suum fœdus*. Roman. 15. vers. 8. ὡς τὸ βεβαιῶσαι, ut confirmaret promissiones Patrum. Inde Marc. 16. vers. 20. τὸ κερὶς συνεργῶντι & καὶ τὸν λόγον βεβαιῶντι, *Deo cooperante, & sermonem confirmante.* Et Phillip. 1. vers. 7. ἐν βεβαιῶσι τὸ εὐαγγέλιον, in confirmationem Evangelii. Sic confirmatur quoq; vocatio, non quæ incerta, sed ut, quæ certa est, ejus certitudo signo aliquò propriò, nempe bonis operibus, confirmetur. Si ergo ne vocationis quidem certitudo ab operibus pendet: Ergo multò minus fidei sive Justificationis vel certitudo vel conservatio.

CLXXI. Si autem *Becanus* & *Jesuitæ* nondum quiescere velint, opponamus illis auctoritatem ipsorum *Thomæ* & *Glossæ utriusq;*, *interlinearis* & *communis*. *Thomas* ita habet: *Ut per bona opera, scilicet exteriora, faciatis, id est, ostendatis vestram*

*fram vocationem ad fidem extempore : Et electionem per præ-
destinationem ab æternò : ut scilicet certi sitis , vos vocatos & à
DEO electos. Glossa interlinearis : Benefaciendo vos faciatis
certos de premio vestra vocationis & electionis : Unde per bona
opera , que facit homo , sue electionis potest habere certitudinem ,
non quidem scientiæ , sed conjectura , non rei , sed spei , Romanorum
capite octavò : Certus sum , quod neq; mors , neq; vita &c. Et
tandem Glossa communis dicit : Ut faciatis certam vocatio-
nem per bona opera , scilicet hominibus intuentibus vestra opera .
Nihil hi de fidei conservatione : Sed nobiscum consen-
tiunt.*

CLXXII. Paragraphò 3. objectionem de impossi-
bilitate legis solvere conatur Becanus , inquiring : *At cla-
mant adversarii , observationem mandatorum esse impossibilem. Non
ita est. Etsi enim per solas nature vires sit impossibilem , tamen per
auxilium gratiæ divinæ , non modò possibilis , sed etiam facilis & ju-
cunda efficitur. Hoc fatetur David Psalm. 118. Viam man-
datorum tuorum cucurri , cum dilatâsti cor meum.
Ecce , cucurrit , non ambulavit viam mandatorum. Unde ille cursus
quia Deus per gratiã dilatavit cor. Et similiter Apostolus ad Phil. 4. 13.
Omnia possum in eò , qui me confortat ,
q. d. meis quidem viribus nihil aut parum ; at divinò auxiliò , pos-
sum omnia . Propter hoc auxilium dixit Christus , Matth. 11. v. 30.
Jugum meum suave est , & onus meum leve.
De hac re plura in sequenti capite.*

CLXXIII. Distinguiamus adhuc inter immediatas &
mediatas Dei actiones. Illæ quidem perfectæ sunt in suo ge-
nere , ut in illis nihil desiderari possit. Hæ autem sunt imper-
fectæ : non quia à Deo & Spiritu Sancto sunt , sed quia per
hominem , adhuc peccatò originis inquinatum , peraguntur ,
& adeò imperfectæ , mancæ ac contaminatæ sunt , ut non du-
bitet propterea affirmare Propheta , omnes nos immundos esse ,
& universas justitias nostras tanquam pannum menstruata , Esa. 64.
vers. 6.

vers. 6. *Emphatica verba & satis clara, ut nullò commentario indigeant. Nos omnes, inquit Propheta (Ergo & se includit; Ergo & justos; Nam inter hos ipse) immundi sumus. Deinde addit: Justitia nostra, id est, opera nostra, quæ bona dicuntur. Omnes ergo hæc Justitia nostra, inquit: Quid verò sunt? perfectæ, mundæ, puræ & Deo per se gratæ? Nihil. Quasi pannus menstruatae sunt.* Profectò Lutherus nihil quicquam potuit addere. Accedit Apostolus Paulus, ac easdem comparans cum *σκυβάλλις*, stercoreibus, *Philip. 3. vers. 8. & capite septimò ad Romanos* imperfectionem sui considerans, tandem in tragicam hanc vocem erumpit: *memiserum, quis eripiet me ex corpore isto mortis, v. 24.*

CLXXIV. *Dictum Psalmi 118. vel potius 119. vers. 32. rectius vertunt Pagninus, Ariamontanus, Vatablus, Tremellius: Viam mandatorum tuorum percurram, ubi dilataveris cor meum: Et Lutherus noster: Wenn du mein Herz tröstehest / so lauffe ich den Weg deiner Gebot.* Ut frustra quærat Becanus *Emphasin in præteritò cucurrit: Non enim loquitur David de suâ perfectione, quâ impleverit legem, & perfectam ei obedientiam præstiterit, ut sibi imaginatur Jesuita: sed potius suam agnoscit fragilitatem, torporem & oscitantiam in studio pietatis, ut nihil efficiat, facereve possit, nisi divinitus adjuvetur, excitetur & confirmetur.* Nam omninò ita est; magnò nobis impedimentò sunt angores & cruciatus conscientie, quò minus obedientiam Deo præstare possimus. Quandoquidem doloribus istis conscientia velut laqueis constricta tenetur, ut progredi in conatu pietatis ac virtutis nequeat. Ubi verò Deus cor eductum ex illis angustiis dilatavit, hoc est, erexit nostram conscientiam gratuita remissione peccatorum, monstravit nobis beneficia Mediatoris, qui sanguine suo iram Dei placavit, & dilectionem suam diffudit in corda nostra per Spiritum sanctum, qui certos nos reddit de clementi voluntate Dei erga nos, & de vitæ æternæ hæreditate: tum verò magnâ alacritate & invocamus Deum; & gratias illi agimus, & edimus

edimus confessionem veritatis; & propogamus Evangelii doctrinam; & patientes sumus in ærumnis; & facimus officia vocationis, & abstinemus à peccatis, & diligimus proximū: quod est *currere viam mandatorum Dei*; adhuc verò procul abest à perfectâ impletione legis.

CLXXV. Sic dictum Philip. 4. v. 13. ineptissimè allegatur. Nihil enim ibi Apostolus de perfectâ legis impletione: sed versu 11. incipit & occupatione pervertit eam, quæ de ipso incidere potuerat Philippensibus, suspicionem, quasi ob penuriam subsidii fuerit animo dejectiore. Quare præoccupans vers. 12. demonstrat, se tum ex verbò Dei, tum usu & assuetudine didicisse, contentum esse præsentibus; didicisse patienti ferre animò famem & inediam, sicque se sub Dei manu humiliare: didicisse vicissim in rerum abundantia carnis affectus refrenare, ne ipsi contingat, quod filius hujus seculi, qui rebus ad animi votum affluentibus, vel sese efferre, vel certè contra DEUM luxuriari soleant. Hanc verò animi sui in abundantia pariter & egestate, moderationem, ne ad sui quandam laudem referre videatur, Christo Domino illam tribuit. v. 13. quod nimirum illius solius benignitate ac virtute animetur, ne in prosperis superbiat, & in adversis animum abjiciat. Atq; hoc est, quod dicit, *se omnia posse in Christo*, nempe humiliter ferre abundantiam, & excelsò animò egestatem & famem superare. Non igitur per somnium Apostolo in mentem venire potuit, ut hic de perfectâ impletione legis ageret.

CLXXVI. *Matth. 11. v. 30.* nihil ad rem. Estne jugum Christi obedientia legis moralis? Nihil minus, Est sancta crux sive afflictio, cuique Christiano juxta voluntatem DEI imposita. Hoc quidem omni carni depravatae ingratum est: Fit tamen verè fidelibus leve & commodum. Primò quidem comparatione ad infinitam molem iræ DEI ac æternæ damnationis, quàm à nobis ablatam Christus in se transtulit. 2. Quia Spiritus sui gratiam ac robur suppeditat, ut superare queamus. 3. Quia salutare medium est, quò DEUS fi-

K

dem

dem in nobis exerceat, probet, confirmet. Et tandem leve est hoc onus, si conferatur ad æternum illud pondus gloriæ, quâ pensabitur afflictio præsentis temporis ad gloriam, quæ revelabitur erga nos, *Rom. 8. vers. 18. 2. Corinth. 4. v. 17.* Nihil ergo omninò hic agitur de obedientiâ aut impletione legis, sive perfectâ, sive imperfectâ: sed potius latenter confertur jugum Christi leve cum importabili jugo Moïsis, *Act. 15. v. 10.* & cum tyrannide hujus mundi.

CLXXVII. Tandem totum tractatum de justificatione concludit Becanus Epilogò, in quò collationem instituit inter justificationem nostram & Pontificiam, sic scribens: *Expofui sententiam utriusq; partis. Nunc vulgari similitudine rem illustrabo. Est autem hujusmodi. Sit pauper aliquis, plenus scabie, ulcere, putredine, & vitiosis humoribus. Is medicum adeat, ut sanari possit. Quid porrò medicus? Si Catholicè agat, tria præstabit, 1. Quasdam dispositiones seu preparationes ad faciliorem morbi curationem præscribit. 2. præbebit illi potionem, non modò medicam, quâ corpus purgetur, & sanies abstergatur, sed salutarem & vivificam, quâ vires redintegrentur, & pristina sanitas acquiratur. 3. adjunget cautionem, & præservativum, ne iterum in morbum recidat, & sanitatis partem jacturam faciat. Ita secundum Catholicos res habet in justificatione, seu curatione animi. Peccator, qui animò ager est, plenus putore flagitiorum, sanari à Deo cupit. DEUS tria illi præstat. 1. motionem fidei, spei, contritionis, dilectionis, & propositi novæ vitæ, tanquam dispositiones ad animi curationem prævias. 2. Infundit illi gratiam seu justitiam sanctificantem, quâ & peccata tolluntur, & sanitas amissa recuperatur. 3. Præscribit illi cautionem, ut deinceps insistat piis operibus, & observationi mandatorum, ac seriò prospiciat, ne quam adeptus est sanitatem, suò vitio & negligentia deperdat. Hæc apud Catholicos. At si Calvinisticè agat medicus, multò aliter procedit. Nimirum agroto offeret suam chlamydem nitidam, elegantem, elaboratam. Hortabitur, ut manum apprehendat, circumponat, scabiem tegat, ac deinde magnâ securitate in conspectum sui Principis accedat, quippe, qui sæditatem corporis, tam eleganti palliò obductam, videre non,*
pos-

possit. Planè sic res habet in justificatione Calvinisticâ. Peccator, qui propter scelerum suorum horrorem ac turpitudinem, in conspectum DEI venire non audet, à Christo Medicò subsidium petit. Christus offert illi suam justitiam & satisfactionem, tanquam pretiosam chlamydem. Hortatur, ut fide eam apprehendat, eaq; suâ flagitia, quasi velò quodam tegat; ac deinde confidenter & audacter in conspectum Dei se sistat; à quò sine dubiò, innocens ac mundus declarabitur, etiamsi revera non sit. Hac apud Calvinistas. Videat nunc pius lector, quò pacto justificari velit? Catholicè, an Calvinisticè.

CLXXVIII. Respondemus primùm & quarimus, quonam argumentò Jesuita nobis persuadere velit, ut credamus, justificationem hominis coram DEO, eâ methodò, instituendam, peragendam & absolvendam esse, qua sanatio morbi corporis instituitur, & homo à Medicò naturæ ministrò curatur. Sanè Christus, qui & animæ & corporis nostri medicus est (sed Spiritualis & supernaturalis) quia naturalia media non adhibet, sed omnes morbos supernaturaliter curat, ad ejusmodi methodum alligatus non est. Sanat filium reguli, *Job. 4. v. 50.* infirmum, *ibidem cap. 5. v. 8.* cæcò naro restituit visum, *ibidem cap. 9.* efficit claudos ambulare, leprosos mundari, surdos audire, mortuos resurgere &c. *Matth. 11. v. 5.* Nullibi autem illâ methodò, quam Medici naturales in curandis morbis sequuntur, usus est; sed plerosque omnes unò verbò, præter & contra omnem naturæ seriem curavit & sanavit. Si ergo methodò illa in morbis corporis tollendis non indiguit: Ergo multò minus fingendum, Christum non posse justificare homines peccatores, nisi adhibeat & sequatur vulgarium Medicorum methodum.

CLXXIX. Deinde sciant Papani, Christum in justificatione hominum non agere Catholicè sive Papisticè: hoc est, modò illò, quem perversi Jesuitæ secundum rationis suæ depravatæ figmentum sibi imaginantur. Quandoquidem longè aliud nobis revelavit Jehova, apud Esaiam cap. 55. v. 8. & 9. Ibi enim agens de misericordi sua affectu ergo miseros peccatores,

atque ipsâ peccatorum remissione & sic Justificatione, it nosa docet: *Non cogitationes meae cogitationes vestrae: nec via vestra, via mea, dixit Jehovah.* Nam quanto altiores sunt caeli, quam terra, tanto altiores sunt via mea, quam via vestra, & cogitationes meae, quam cogitationes vestrae.

CLXXX. Quae cum ita sint: Quis velit concedere viam vulgarem Medicorum naturalium, esse viam Domini in Justificandis hominibus? Quis poterit credere, stultas Jesuitarum cogitationes in hoc arduo remissionis peccatorum negotio esse ipsas DEI cogitationes.

CLXXXI. Primum quidem concedimus, quod peccator sit ager animo, & plenus putore flagitiorum. Id enim pertinet ad hominis vias & hominis cogitationes. Quod autem addit: *Quando is sanari à DEO cupiat, quod tum Deus ipsi tria praestet: commiscet suas statim cogitationes cum ipsius DEI, sibi imaginans, ac si homo propriis viribus possit cupere, ut sanetur à DEO: & tum propter opus hoc, & ejus meritum congrui, Deus moveatur, ut tria illa in ipso peragat, & sic Justificationem perficiat.* Somnia hæc malefani Jesuitæ. Sanè quando hominis animus ita est à Spiritu S. per verbum motus, tum fides in ipso est accensa, & Justificatio peragitur. Quando quidè Deus promptior est ad juvandum & sanandū, quam homo ad cupiendum & orandum. Deinde primam illam, quam fingit Becanus, motionem nullam esse, pugnareq; cum cogitationibus & viis Jehovah, ut & alteram, satis hæcenus demonstratum est. Tertiam verò, ut & infusionem spiritualium virtutum, obedientiam, cultumq; interiorum; de quibus (sed non purè & orthodoxè) agit secunda, pertinere ad renovationem & sanctificationem, non ad Justificationem, evidentissimis etiam documentis, ex Sacra Scripturâ petitis, ostendimus.

CLXXXI. Tertio confundit Becanus Justificationem hominis cum sanatione ejusdem. Illa enim non est ipsa sanatio, vel servatio sive salvatio, sed tantum est pars ejus. Quando quidem ad sanationem & servationem sive salvationem longe plura

plura requiruntur: Utpote Christi obedientia legi præstita, passio, mors, resurrectio, & sic totum Sacrificium Christi, quibus nobis solus meruit ea, quæ sequuntur: Vocatio, Evangelii prædicatio, auscultatio, Spiritus Sancti missio, justificatio, in fide ac Justificatione perseveratio, sanctificatio, renovatioque in hac vitâ inchoata, in resurrectione perfecta & absoluta, & tandem vita æterna. Ad Justificationem verò pertinet, 1. ut supponatur obedientia & sacrificium Christi, 2. ut nobis id in prædicatione Evangelii offeratur, 3. per illam ejusq; auscultationem Spiritus sanctus in corda nostra mittatur: atque in illis fidem, meritum Christi apprehendentem, Justificationemque perficiat. Hæc deinde quasi præparatio dici potest ad subsequentem salvationem, nempe ad renovationem inchoandam & perficiendam, & tandem vitam æternam possidendam. Quandoquidem hæc omnia Justificationis sunt consequentia, quæ illam præcedentem necessariò requirunt.


CLXXXII. Hæc si fusius explicare vellemus, adhuc ingens discrimen sese offerret inter sanationem hæc spiritua-lem animæ, & illam naturalem corporis. Christus Medicus noster, ut nos sanaret, nostrum in se morbum derivavit, nostrò locò ægrotavit, imò mortuus est: Per ipsius ergo vulnera nos sanamur, per illius mortem nos vivificamur. Ipse est Medicus & medicamentum, nempe ipsius caro est cibus, & ipsius sanguis ipse potus, verè vivificus, qui nos sanat & conservat ad vitam æternam. Quis unquam Medicorum naturalium ita sanavit suos ægrotos? Sanè si eò modò medicina faciendâ, nullus unquam se profiteretur medicum.

CLXXXIII. Si ergo hæc totò cælò distentâ curatione vulgari Medicorum vulgarium: quid mirum, quod medicamentorum postmodum applicatio, operatioq; sit diversissima? Quod autem primum peccator subsidium petat à Christo tanquam spirituali Medico, eò rectè facit, & id ut faciat, divinitus jubetur. Quod deinde Christus per verbum & Sacramen-
K. 3. ta illi.

ta illi suam Justitiam & satisfactionem, tanquam pretiosam,
chlamydem, fide apprehendam offerat: & illud verum est,
& in Sacra Scriptura nobis revelatum. Tertio autem, quod ad-
dat, *peccatorem eam tegere sua peccata*, id nos non docemus, &
falsum in se est: Cum Christus hoc faciat, homo tantum passive
se habeat: Christus suo merito a nobis fide apprehensus nostra
regit peccata, & sic eo nobis condonat ac remittit. Quod et-
iam Sacra Scriptura ubique docet. Quod tandem propter im-
putatam Christi Justitiam homo mundus declaretur in conspe-
ctu DEI, proindeque magna confidentiam ad Deum accedere, ac
clamare possit, *Abba Pater*: neque illud absurdum esse, sed per
omnia cum Sacra Scriptura consentire, haecenus constanter
docuimus ac demonstravimus. Verum totam nostram sanatio-
nem eodem modo absolutam & perfectam esse, nullus nostrum,
unquam vel dixit vel defendit. Concludimus ergo verbis
Becani, Lectorem adhortantes: *Videat nunc pius Lecter, quo pa-
cto Justificari velit, Papistice an Lutheranè.* Christo Domino
Servatori & Justificatori nostro unico, una cum Patre &
Spiritu sancto sit Laus, honor, & gratiarum actio
seculis nunquam terminandis.

F I N I S.





99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







Farbkarte #13

B.I.G.



33

IO SOLENNIS
 TIFICA-
 ONE,
 POSITA
 i Becani Tract. 4.
 igatione ex sententia
 olicorum:
Quam
 ANTE GRATIA
 PRÆSIDIO
 RTINI SS. Theol.
 Publ. Fac. Th. Senioris,
doctoreo in Facultate
ica impetrando
 defendet
 RLINGIUS Lauchâ-Thu-
 il. p. t. Adjunctus, nec non Ecclesiæ
 us & confirmatus Pastor.
 ologico die 29. Decembr.
 te- & pomeridianis.

 EBERGÆ,
 ONIS AUERBACH, Acad. Typogr.
 clo lo C XXIX.
